HF uf 80a (176 2 n)

QUID REI MILITARIS DOCTRINA

RENASCENTIBUS LITTERIS

ANTIQUITATI DEBUERIT

HÆC APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS

DISPUTABAT

J. GEBELIN

Scholæ Normalis olim alumnus

BURDIGALÆ

EX TYPIS G. GOUNOUILHOU

11, VIA DICTA GUIRAUDE, 11

1881

ACQUISITIONS N° 37493

PRÆFATIO

Ingens ille ingeniorum motus quo, juvante antiquorum studiorum instauratione, recentior ætas quasi ad alteram vitam revocata est, non ingenuas artes neque jus neque medicinam tantum renovavit. In re militari quoque disciplina antiqua restituta valuit, multo magis autem, fateor, quod ad doctrinam attinet quam quod ad usum : veteres rei militaris scriptores, arte nova imprimendi, in vulgus editi sunt atque diffusi; veterum militaria instituta, exempla, præcepta in memoriam reducta sunt atque exposita ad imitandum; imo imitatione, sed modestiore, sed breviore, attentata.

Quid rei militari, recentiore ætate ineunte, veterum disciplina restituta profuerit ostendere conabor. Proposito tamen meo fines eos constituam : quod ad tempora attinet, ab origine artis imprimendi usque ad annum 1550 progrediar; quod ad gentes attinet, de Italica gente necnon et de Gallica agam; quarum Italica gens, excogitando multa, Gallica, exsequendo Italicam suaque ipsius consilia, ætatem illam potissimum exprimunt.

QUID REI MILITARIS DOCTRINA

RENASCENTIBUS LITTERIS

ANTIQUITATI DEBUERIT

LIBER PRIMUS

DE VETERIBUS REI MILITARIS SCRIPTORIBUS USQUE AD ANNUM 1550 EDITIS

CAPUT I

De scriptoribus latinis.

Ne viginti quidem annis ab incepta imprimendi arte præteritis, aliqui jam de veteribus rei militaris scriptoribus, artis illius novæ beneficio, sunt editi (1).

Rei militaris latinorum, multo prius quam græcorum, scriptorum opera typis mandata sunt, Sexti Julii Frontini scilicet *Strategemata*, Flavii Vegetii Renati *Epitoma rei militaris*, Modesti libellus *De vocabulis rei militaris* (2); quæ omnia ante annum 1500 apparuerunt.

Modestus primus fortasse typis mandatus est; cujus libellum jam inde ab anno 1471 impressum fuisse constat. Hæ sunt editiones Modesti :

1471, Venetiis, 4. Excudebat Vindelinus de Spira. — Modesti autem libellus ille auctoris nomen nullum habet, *De disciplina militari* inscri-

(1) E voluminibus, quæ in hoc libro primo indicavi, alia ipse vidi, alia descripta in indicibus legi. Mihi præcipue usui fuerunt Fabricius *(Bib. latina; Bib. græca)*, Maittaire *(Annales typographici)*, sed ante omnes Panzer *(Annales typographici)* et Brunet *(Manuel du libraire)*.

(2) Scriptores illos tantum enumerare in animo habeo qui rem militarem in præcepta redegerunt; quare historicos Cæsaremque ipsum omitto.

bitur, pluresque Ciceronis libros *De natura deorum, De divinatione, De fato, De legibus, Acad. quæstionum,* sequitur.

1474, Venetiis, 4. Exc. Bartholomæus Cremonensis et Bartholomæus de Carlo Vercellensis. — Modesto accedunt Pomponius Lætus *De magistratibus urbis et sacerdotiis et de legibus,* Suetonius *De grammaticis et rhetoribus.*

1474? Romæ? 4. Anni, loci, officinæ indicia desunt. — Editio inscribitur : « *In hoc volumine continetur. De re militari. De magistratibus* » *urbis et sacerdotiis, et de legibus.* » Hanc Brunet impressam esse censet a Georgio Sachsel et Bartholomæo Golsh.

1475, Romæ, 4. Exc. G. Tibullus de Amidanis de Cremona. — Editionem illam, de qua tacent Panzer et Brunet, descripsit Maittaire (I, 348, editio nova).

?? 8. Anni, loci, officinæ indicia desunt. « *Modestus de re militari.* » *De magistratibus et sacerdotiis. Julius Solinus de rebus memora-* » *bilibus.* » (Maittaire, I, 762.)

1487, Romæ, 4. Exc. Eucharius Silber. — Tunc demum jam non admiscetur Modestus auctoribus qui aliena a re militari tractant.

Vegetii editiones tres, quæ priores esse videntur, anni, loci, officinæ indicio destitutæ sunt. Quarum eam, 4. quam principem esse existimat, Parisiis impressam fuisse censet Brunet; secundam, fol. Trajecti ad Rhenum circa a. 1473; tertiam, fol. Coloniæ inter a. 1474 et 1478 (1).

Hæ sunt Vegetii editiones quæ certa indicia præ se ferunt :

1487, Romæ, 4. Exc. Eucharius Silber.
1488, Pisciæ, fol. Exc. Sigismundus Rodt de Bitsche.

Frontinus 1487, Romæ, 4. apud Eucharium Silber, et postea 1514, Lipsiæ, fol. apud Melchiorem Lotter impressus est. — Jam Modestum et Vegetium, eodem anno 1487, eadem in urbe Roma, eodem ab Eucharo impressos fuisse dixi. Modesti enim, Vegetii atque Frontini, necnon et Æliani *(De instruendis aciebus)* latine versi opera, quamvis mensibus in excudendo diversis proprioque paginarum ordine distincta, unum idemque volumen complexum fuisse videtur. Valde coluit illa ætas quatuor illos « auctores penitus divinos », « qui veluti quadriga per militarem campum latissime decurrunt », ut Philippus Beroaldus in editione sua dicebat. Quare Vegetii, Frontini, Æliani a Theodoro Gaza latine versi, Modestique opera, in uno volumine conjuncta, haud semel edita sunt, pluribus in urbibus, pluribus e recensionibus, Joannis Sulpitii Verulani scilicet Romæ,

(1) Fabricius, quem secutus est Maittaire, Vegetii editionem 1478, Romæ, 4. indicat.

Philippi Beroaldi Bononiæ, Godefridi Hittorpii Coloniæ, Guidonis Breslei Lugduni, Gulielmi Budæi Parisiis. — Editionum sequitur index :

1487, et rursus 1494, Romæ, 4. E recensione Joannis Sulpitii Verulani. Exc. Eucharius Silber.

1496, et rursus 1505, Bononiæ, fol. E recensione Philippi Beroaldi. Exc. 1496 Plato de Benedictis ; 1505 Joannes Antonius Platonides. — In volumine qui a. 1496 inscriptionem habet, Frontinus et Vegetius a. 1495 notam ferunt.

1499, Venetiis, 4. Exc. Joannes de Tridino. (Panzer, XI, 343.)

1515, Parisiis, 4. Apud Johannem Parvum. (Panzer, VIII, 23.)

1523, (Lugduni), 8. E recensione Guidonis Breslei Parisiensis.

1524, et rursus 1532, Coloniæ, 8. E recensione Godefridi Hittorpii. Exc. 1524 Joannes Soter, 1532 Eucharius Cervicornus.

1534, 1535, Parisiis, fol. « Item picturæ bellicæ CXX passim Vegetio » adjectæ. Collata sunt omnia ad antiquos codices maxime Budæi. » Exc. Christianus Wechelus.

? Parisiis. Exc. Chr. Wechelus. In hoc volumine continentur auctores iidem, sed in minore forma, et sine pictura (secundum Wecheli indicem quem transcripsit Maittaire).

In recentiorem quoque sermonem translati rei militaris scriptores latini atque, ante omnes, Vegetius prodierunt. — In germanicum sermonem versus Vegetius non multo post inceptam excudendi artem impressus fuit; exstat enim editio, fol. magnis figuris ligno incisis conspicua, quæ Ulmæ circa a. 1475 prodiisse videtur. Erfordiæ deinde 1511, Augustæ Vindelicorum 1529 atque iterum 1534, fol. et tunc plurimis figuris ligno incisis illustratus, Vegetius in germanicam linguam translatus apparuit. — In italicam linguam versus a Tizzono Gaetano Vegetius Venetiis haud semel exiit, 1524, 1525, 1528, 1540, 8.

In hispanicam linguam translatus Frontinus a Ferdinando Lopez de Yanguas Salmanticæ, 1516, 4 ; in italicam, Venetiis, 1536, 1543, 8 ; in anglicam a Richardo de Morysine Londinii, 1539, 16. exiit.

Ad hoc veteres eosdem illos rei militaris scriptores collectos quos latine, ut ante dictum est, ediderat, gallice a Nicolao Volcyro versos, iisdemque cum picturis, Christianus Wechelus Parisiis, 1536, fol. excudebat. — Jam autem Vegetius, Frontinus Ælianusque gallice a Volcyro versi, ex officina Chr. Wecheli, Parisiis, 1530, fol. adjunctis picturis, exierant.

CAPUT II

De scriptoribus græcis.

Veterum auctorum qui de re militari græce scripserunt opera imprimi tarde cœpta sunt, græcam quidem linguam si consideres. Illud autem ex eo accidit quod latinæ potissimum antiquitati studuit illa ætas, quod latini sermonis prius quam græci notitia revixerat, quod græca lingua typis mandanda litterarum formas insolitas desiderabat.

Quibus de causis nullus rei militaris scriptor ante annum 1500 græce impressus fuit; imo nullus intra priorem sexti decimi sæculi partem, præter Polybium et Ælianum (1).

Polybii *De militia romana et castrorum metatione* fragmentum 1529, Venetiis, 4. Joannes Antonius de Sabio græce primus excudebat (2), adjuncta Jani Lascaris Rhyndacei latina interpretatione, et rursus 1539, Parisiis, 4. J. Tiletanus.

Æliani *De instruendis aciebus* opus 1532, Parisiis, 8. græce primus excudebat Michael Vascosanus, sed Thomæ Magistri, Phrynichi et Moschopuli *Eclogis atticarum vocum* conjunctum; adeo ut Franciscus Robortellus Utinensis primum se 1552, Venetiis. 4, Ælianum græce edere crederet.

Græci autem scriptores plures, antequam in sua ipsorum lingua editi erant, jam in latinam atque etiam in recentiorem linguam conversi erant. Polybii tamen de militia romana fragmentum latine editum fuisse nusquam vidi antequam et græce est editum. Fragmentum idem illud in italicam linguam translatum 1536, Venetiis, 4; in gallicam a Ludovico Meigreto, 1545, Parisiis, 8. apud Marnefum exibat.

Ælianus a Theodoro Gaza Thessalonicensi latine versus jam inde ab a. 1487, Romæ, ex officina Eucharii Silber prodiit, et sæpe postea eodemque in volumine quo simul, ut ante dictum est,

(1) Ut Xenophontis *De re equestri* et *De præfectura equitum* libellos omittam; cujus opera omnia græce jam inde ab a. 1516 haud semel edita sunt. A Joachimo Camerario latine versus *De re equestri* libellus 1539, Tubingæ Suevorum, 8; ab eodem latine versus *De præfectura equitum* libellus 1543, Lipsiæ, 8. prodiit.

(2) Ipsi autem priores quinque Polybii libri græce a. tantum 1530, Hagenoæ, editi sunt.

Vegetius atque Frontinus Modestusque continebantur. Æliano adjungi solebant imagines quibus militarium ordinum instituendorum rationes, quas Ælianus descripsit, effingebantur.

Onosandri *De imperatoris institutione* liber, quem 1599, Parisiis, græce primus edebat Nicolaus Rigaltius, jam inde ab a. 1494 a Nicolao Sagundino latine versus Romæ, 4. ex officina Eucharii Silber exibat, et rursus, eodem Sagundino interprete, 1504, Parisiis, 8. in ædibus Ascensianis, necnon et 1541, Basileæ. In italicam linguam a Francisco Cotta translatus et commentariis illustratus Onosander 1546 et 1548, Venetiis, 8; in gallicam linguam a Joanne Charrier translatus, 1546, Parisiis, fol. exibat.

Leonis imperatoris *De re militari* librum, quem 1612, Lugduni Batavorum, Joannes Meursius græce primus vulgavit, jam in italicum sermonem verterat notisque illustraverat Philippus Pigafetta 1541, Venetiis, 4. Leonem eumdem latine verterat et Henrico octavo Angliæ regi dicaverat a. 1544 Johannes Checus Cantabrigiensis; cujus interpretatio 1554, Basileæ, 16. prodiit.

Polyæni denique *Strategemata*, quæ 1589, Lugduni, Isaacus Casaubonus græce primus edidit, 1550, Basileæ, 4. ex officina Oporini, a Justo Vultejo latina facta, exierant. Qua latina translatione usus Nicolaus Mutonus Polyænum in italicam linguam 1551, Venetiis, 8. verterat.

Rei militaris scriptores veteres, de quibus mentio non incidit, illa tempestate non editi sunt.

LIBER SECUNDUS

DE RECENTIORIBUS REI MILITARIS SCRIPTORIBUS QUI, RENASCENTIBUS LITTERIS, DISCIPLINAM AB ANTIQUITATE SUMPSERUNT

CAPUT I

De universitate recentiorum scriptorum.

Renascentibus litteris, non solum veteres rei militaris scriptores in lucem editi sunt, sed etiam vetus rei militaris disciplina. Veterum autem militares artes non uno eruditionis studio, sed utilitatis et imitationis causa, in memoriam revocatæ sunt. Quod ex ipsis quibusdam verbis apparet quæ in editionibus veterum rei militaris auctorum inscripta sunt. Sic in fine Vegetii, qui 1488, Pisciæ, impressus est, hæc legere est : « Non sunt passi diutius situ et » squalore delitescere illustrem Vegetium de militari disciplina » loquentem, virum omni laude dignissimum, ingenui adolescentes » Sebastianus et Raphael de Orlandis; quem ob eam maxime causam » imprimi curaverunt, *ut et antiquæ virtutis exemplo Italici juvenes* » *longa desidia ignaviaque torpentes tandem expergiscerentur.* » Egregie profecto atque etiam, pro tempore, mire dicta!

Studio illi in veterem disciplinam favebat, simul cum antiquis instauratis litteris, inclinata recentiorum temporum res militaris. Tunc enim in Italia et in Gallia exercitus militibus mercede conductis, et, quod multo pejus est, evocatis ex alienis gentibus magis ac magis constare solebant; equestres, multo potius quam pedestres, copiæ in acie prævalebant; miles, legum impatiens, licentia flagitiisque dissolvebatur. Italiam præsertim conductis mercede militibus pessime usam fuisse compertum est; adeo ut istiusmodi hominum nomen italicum pervulgatum sit, testeturque in octavo Florentinæ historiæ libro Machiavellus tantam exercitibus fuisse tunc ignaviam ut ex uno equo fugiente accepta clades illatave penderet.

Quod quum ita se haberet, occurrere cœperunt qui, antiquitatis cognitione muniti, res novandas esse in militia significarent potiusque ad imitationem veterum reducendas.

CAPUT II

De scriptoribus italicis.

§ I

De eruditione indigesta. De Roberto Valturio

Ut ingenuarum artium, sic rei militaris antiquæ renovatione Italia ceteras gentes superavit. Hos tamen temporum gradus statuam: priorem, quo docti homines rudi indigestaque rerum mole quasi obruti sunt; posteriorem, quo bene compositam scientiam ad usum ætatis suæ accommodaverunt.

Primus e recentioribus de re militari libris qui, sive in Italia, sive etiam ubivis, mandatus typis fuerit, Valturii videtur fuisse. Hunc Robertus Valturius Ariminensis circa a. 1460 latine componebat et Sigismundo Pandulfo Malatestæ (1), Ariminensium principi, dicabat. Valturii opus latinum (*De re militari* libri XII) 1472, Veronæ, fol. Johanne Veronensi excudente, primum exiit; et postea 1483, Veronæ, fol. latine; 1483, Veronæ, fol. in italicam linguam a Paulo Ramusio Ariminensi translatum; 1532-1533 et 1534-1535, Parisiis, fol. latine; 1555, Parisiis, fol. gallice, Ludovico Meigreto interprete.

Valturii opus, quum et vetustate et parta tunc auctoritate dignum (2) esse videatur aliquo studio, ab initio usque ad finem describam, conservato proprio rerum ordine, ut quod et quale sit appareat.

Primum de origine rei bellicæ agitur; in quot partes res militaris distributa sit. Censet Valturius plurimis liberalium artium studiis inhærere debere eum qui se ceteris imperaturum profiteatur: dux enim studere debet litteris; philosophiæ et historiarum cognitioni; eloquentiæ; poetis; musicæ; arithmeticæ et geometriæ; astronomiæ

(1) Malatesta a. 1468 obiit.

(2) Hæc in fine voluminis Veronæ 1472 impressi legere est:

Prisca hæc, Valturi, si tempora nacta fuissent,
Militiæ ferres præmia magna tuæ,
Teque Palatini cepissent culmina Phœbi,
Roberte, ætatis gloria prima tuæ.
Æternos igitur vives cultissimus annos,
Militiæ verus rexque paterque simul.

et etiam arti, si qua est, perquirendorum fatorum; legibus; medicinæ; gymnasticæ et equestri exercitationi. Plurimas quoque animi necnon et corporis virtutes inesse duci necesse est.

Insequuntur quæ ante bellum, in bello et post bellum sapienter, lepide, moderatius dicta sint; quæ apud veteres fuerint belli indicendi fœderisque feriendi rationes; quæ devotionis formulæ; quanta sacramenti religio in militia; quæ in deligendis militibus, equis, ducibusque cura; quis incedentis exercitus ordo; quæ instruendæ aciei ratio varia; quis metationis locus et quæ forma castrorum; quales cum hostibus legationes agendæ sint; quid faciendum sit si exercitum obsideri aut alios obsidere contingat; quid in diversis belli casibus. Prisca deinceps rei militaris vocabula Valturius explicat, sive ad personas, sive ad res pertinentia; militarem cultum, arma, varias signorum species recenset, necnon et instrumenta bellica, non solum a veteribus, sed etiam suo ipsius tempore usurpata.

De bello navali postea disserit; qua materie et qua forma fabricatæ et fabricandæ sint naves; quibus instrumentis flumina transeantur. Pœnas denique et præmia militum describit, Romanorumque mores in triumphis.

Quidquid ad militiam antiquam, et præsertim ad romanam, spectat, recenset Valturius; accedunt armorum, machinarum, munimentorum, signorum, navium plurimæ figuræ. Eruditus est quidem Valturius, et, pro tempore, laude aliqua non indignus; imo eruditior, quippe qui inconditæ scientiæ gravitate laboret neque ad judicandum aptus esse videatur. Plurimorum scriptorum veterum, nullo delectu habito, verba sine intermissione dictitat, versusque ipsos commemorat abunde; exempla alia super alia inconsulte cumulat. Elaboratam eruditionem persecutus in nugas idcirco et puerilia decidit; sic magno studio perscrutatur apud quas gentes res militaris primum orta sit; sic imperatorem vult de re omni, quæ sciri possit, esse doctum, occasionem ideo nactus ut omne genus artium ipse obeat; sic religionem pravam non satis vitasse videtur, quum nefastos fastosque dies ab antiquis observatos commemorat, « seu recte seu perperam id fiat. »

Quæ in opere Valturii maxime atque etiam unice nunc prosit, ea profecto pars est qua, derelictis paulisper antiquis, de tempore suo aliqua testatur. In decimo libro scilicet metallicam illam machinam describit « quæ ignis incendio et sulfureo pulvere, imo tartareo

» magis, glandes æneas flammeasque pilas et globosa gravioraque » saxa convolvens, horrisono fragore ac tonitru longe lateque jactat, » muros urbium quatiens et obstantia quæque demoliens. » Sed tunc etiam, antiquitatis imitationem semper affectans, machinam illam ab Archimede ipso inventam fuisse contendit (1). Describit quoque machinam illam « qua pilæ æneæ tormentarii pulveris » plenæ cum fungi aridi fomite urentis emittuntur »; accedunt machinarum visu quidem raræ figuræ quæ recentiorum temporum tormenta, instrumenta quibus tormenta transvehantur, deprimantur extollanturve, et globos pulvere fulmineo refertos exprimunt.

Valturianam illam scientiam in italicos versus transtulit Antonius Cornazanus qui jam Virginis et Christi vitam, lyrica atque faceta multa carmine italico tractaverat (2).

§ II

De eruditione digesta. De Nicolao Machiavello.

Ut Valturius, ita Nicolaus Machiavellus de militia antiqua et præsertim de romana disseruit. Non autem ad narrandum, sed ad probandum scripsit, Valturioque tanto præstitit quanto uni de multis egregium præstat ingenium.

Per totam vitam suam, sive civilem sive privatam, attento animo Machiavellus rem militarem curavit. Eam quidem non in acie pugnando, sed scribendo, cogitando, suadendo, jubendo tractavit. Civitatis enim florentinæ ab a. 1498 ad a. 1512 scriba, de re militari epistolas plurimas publice misit (3), decreta plurima in publicas litteras

(1) Hoc idem jam posuerat Petrarca circa a. 1342 (*De remediis utriusque fortunæ* lib. I, dial. 99) his verbis: « Non imitabile fulmen, ut Maro ait, humana rabies » imitata est, et quod e nubibus mitti solet, ligneo quidem, sed tartareo mittitur » instrumento, quod ab Archimede inventum quidam putant, eo tempore quo » Marcellus Syracusas obsidebat. »

(2) *Opera bellissima de larte militar del excellentissimo poeta miser Antonio Cornazano in terza rima.* Illud opus 1493, Venetiis, fol. primum et sæpe postea diversisque in locis impressum fuit. Ejusdem auctoris de re militari carmen alterum italicum exstat quod inscribitur : *De integritate rei militaris et qui in re militari imperatores excelluerint;* 1517, Venetiis, 8.

(3) *Lettere ad Antonio Giacomini commissario generale dell' esercito contro ai Pisani.* — V. Præsertim *Scritti inediti di Nic. Machiavelli risguardanti la storia e la milizia* (1499-1512), *tratti dal carteggio officiale da esso tenuto come segretario dei dieci, ed illustrati da Giuseppe Canestrini.* Firenze, 1857.

retulit. Imo haud semel sententiam suam magistratibus aperuit (1), atque, Decemvirorum nomine, eadem ea conscripsit quæ jam ipse suaserat; sic, auctore Machiavello, constitutum est robur illud militum civile de quo post est dicendum (2). Quum legationes ad principes peregit, diligentissime consideravit quid illi militia valerent (3); quod quidem legatorum esse solebat. Præterea sæpe Machiavellus functus est officiis quæ ad rem militarem pertinebant. Sic cum ducibus mercenariorum militum de stipendiis faciendis egit (4); sic numero fuit eorum qui militum civile robur conscriberent atque armarent; sic, in bello Pisano, haud semel legatus ad castra, cibariis, stipendiis, recensendis dimittendisque militibus præfectus est; sic, anno 1512, quum jam in eo erat respublica florentina ut armis succumberet, militum ducibus omnibus in valle Clanis præpositus est (5). Quid plura? in comparando bellico præsidio civilia officia exercuit.

Restitutis in principatum Mediceis, ad privatam vitam non sponte reversus Machiavellus persæpe commentatus est de re militari; de qua multa in *Principe*, plurima verbis factis *De Tito Livio* dixit. Rem militarem denique opere toto, *Arte bellica* scilicet, aggressus est. Imo libello *De lingua florentina* eo ipso qui nihil aliud nisi grammaticum amplecti videtur posse, rem militarem tetigit (6). Epistolarum quoque cum Francisco Victorio commercio de copiis civitatum atque principum colloqui amavit (7).

Ad publica tandem officia paulisper in ultima vita revocatus, ad muniendam urbem in concilium adhibitus est rursusque missus ad castra (8).

Quum bello toties animum suum applicuisset, quum præsertim Italiam patriam suam bello tot et tanta pati vidisset, censebat rem

(1) *Discorso fatto al magistrato de' dieci sopra le cose di Pisa. — Consulto per l'elezione del comandante delle fanterie.*

(2) V. in hoc nostro opere l. III, c. 2. — Cf. *Due provvisioni sulla milizia.*

(3) *Legazioni*, passim. — *Legaz. al duca Valentino; alla corte di Roma; a Lodovico XII. — Rapporto di cose della Magna; ritratti di Francia.*

(4) *Spediz. al signor di Piombino. — Legaz. alla contessa Caterina Sforza; a Gianpaolo Baglioni.*

(5) *Commis. in campo contro i Pisani. — Com. per fare soldati. — Com. varie.*

(6) *Discorso intorno alla lingua:* «I Romani negli eserciti loro non avevano più che due legioni di Romani...» etc.

(7) *Lett. famil. a Fr. Vettori.*

(8) *Lett. a Fr. Guicciardini. — Legaz. a Guicc. — Relazione di una visita fatta per fortificare Firenze.*

militarem civibus atque principibus ante omnia esse curandam (1), vocabatque otium (2) quidquid ad militiam non pertinet. Sine armis civitatem stare non posse dictitabat (3); Italiam gravissimis malis laboravisse quia in armis pravissime peccavisset (4); bellum præterea vitari non posse, imo necessarium esse (5) quum cives egregios in lucem prodere soleat (6), suasque Romæ antiquæ discordias intestinas profuisse quum cives ex illis armorum usu formati essent (7).

Italicæ igitur libertatis amore captus, assidua armorum exercitatione Italiam liberam fore arbitrabatur, atque idcirco Italiam armis studere oportere, imo necesse esse. Quum autem in ea arma fere omnino obsolevissent, Italiam ad novam rei militaris disciplinam esse concitandam prædicabat, neque ab ulla gente meliorem armorum usum discere posse nisi ab antiquis; quapropter antiquos et præsertim Romanos armorum magistros atque institutores esse adhibendos.

Ea quæ de re militari recreanda sentiebat neque opere uno emisit neque paulisper tantum sensit; quum autem omnia ea in *Arte bellica* composuerit et collegerit, illud opus (8) præcipue perspiciendum adorior; at simul, si res postulabit, quæ in aliis ejusdem Machiavelli operibus reperire est commemorabo.

Singulari profecto et spectata scientia excellit Machiavellus Polybii præsertim de militia romana fragmentis, Vegetio Frontinoque necnon et paulum Æliano usus. Quibus ab auctoribus, quanquam nusquam illos nominat, Machiavellum duci patet. Adde quod historicos optime cognoscit, atque in primis Livium et Cæsarem quorum exempla sæpissime in præcepta redegit.

Scientiæ adjungitur sagax dilucidumque in judicando ingenium. Exempla Machiavellus pauca, sed ea selecta atque valentia, profert. Vegetio multum confisus, inconsultam tamen auctoritatem illi non adjungit, neque, sicut Vegetius, diversa militiæ romanæ tempora

(1) *Principe*, c. 14.
(2) Ozio, *Istorie fiorentine*, V.
(3) « Non possono essere buone leggi dove non sono buone armi. » *Principe*, 12.
(4) *Principe*, 26.
(5) *Discorsi sopra Tito Livio*, I, 19; II, 19.
(6) *Discorsi*, III, 16.
(7) *Discorsi*, I, 6.
(8) *Libro dell' arte della guerra*. Firenze, per li heredi di Philippo di Giunta, 1521, 8.

permiscet; antiquos veneratus auctores, opinione tamen sua eos atque etiam reprehensione consignat (1).

Suam quoque ipsius causam in illo opere agit, atque, ut ita dicam, pro domo loquitur. Primum enim quæ de re militari restituenda sentiebat experimento ipso tentaverat Machiavellus; cujus consiliis usa Florentia robur militum civile conscripserat, reversis Mediceis abolitum (2). Otia, quæ libertas patriæ amissa faciebat, insumpsit Machiavellus in scribenda *Arte bellica*, ea defensurus quæ olim suaserat.

Censebat enim rem militarem prolapsam refici posse, antiquitatis scilicet imitatione (3). In Italia, quemadmodum jam poesis, sculptura picturaque revixerant, ita rem militarem, juvante antiquitate, renasci posse profitetur (4). Quapropter ea, quæ de re militari sentit, omnia vel fere omnia sumit ab antiquis (5). Veteres et recentioribus antecellere et recentioribus esse imitandos affirmat, eaque, ante omnia, a veteribus esse sumenda quæ ad rem militarem pertineant (6). Quos autem e veteribus subsequitur? Romanos scilicet potissimum (7). Exempla a Græcis aliqua sumit, a recentioribus pauca, plurima autem a Romanis. Sed ipsorum inter tempora Romanorum ea deligit quibus Roma moribus et libertate florebat.

(1) Docenti Vegetio legendos esse de temperatioribus regionibus tirones adversatur his verbis Machiavellus : « *Ogni Repubblica ed ogni Regno debbe torre i soldati* » *de' paesi suoi, o caldi, o freddi, o temperati che sieno.* » — A Vegetio inquirente cujus artis tirones eligendi sint dissentit quoque Machiavellus. *Arte della guerra*, I.

(2) V. infra l. III, c. 2.

(3) « E giudicando io, per quello che io ho veduto e letto, che ei non sia impossi- » bile ridurre quella [milizia] ne gli antichi modi, e renderle qualche forma della » passata virtù... » *Arte della guerra*, Proemio.

(4) « Questa provincia pare nata per risuscitare le cose morte, come si è visto » della Poesia, della Pittura, e della Scultura. » *Ib.*, VII.

(5) « Però vi dico, che volendo imitare i Romani ed i Greci. . » *Ib.*, VI. — « Io sono » certo che a voler dimostrar bene come si ordina uno esercito.., sarebbe necessario » narrar come i Greci ed i Romani ordinavano le schiere ne gli loro eserciti. » *Ib.*, III.

(6) « Io vi dico di nuovo che gli antichi facevano ogni cosa meglio, e con maggiore » prudenza di noi; e se nelle altre cose si fa qualche errore, nelle cose della guerra » si fanno tutti. » *Ib.*, VI. — « Se in alcuna parte si devia dagli antichi ordini, si » devia massime nelle azioni militari. » *Discorsi*, III, 10. — « E pensino che a volere » rendere riputazione alla milizia... sia necessario risuscitare questi ordini. » *Discorsi*, II, 18. Cf. I. Proemio.

(7) « Io non mi partirò mai con esempio di qualunque cosa da' miei Romani. » *Arte della guerra*, I. — « E perchè io in questa mia narrazione ho voluto che si » imitino i Romani... » *Ib.*, VI. — « Chi vuol fare tutte queste cose, conviene che » tenga lo stile e modo romano. » *Discorsi*, II, 6. — Cf. *Discorsi*, II, 16, 18, 31.

Ipsam operis sui speciem in imitationem antiquitatis formavit; de arte bellica, tanquam sermo haberetur, scripsit, Platonico Tullianoque more : in horto Florentini Cosimi Rucellaii res agitur; ab epulando convivæ, alii in sedibus, alii in herba, arborum opacitatem captant. Verba facit in primis Fabricius Columna, dux inclytus; cui florentini juvenes sermonem jaciunt.

Machiavelli *De arte bellica* libri septem breviter contrahi possunt his verbis : Compertum habet Machiavellus quantum res militaris in Italia inclinata sit et quanto cum periculo; remedio affert antiquitatis et præcipue rei publicæ romanæ imitationem.

Quæ militia sui temporis in Italia esset non in unum collegit neque in principio operis disposuit; sed, ut quasque suas exposuit sententias, significavit. Hoc nos, Machiavello auctore, explicare tentamus; quo clarius appareant ea quæ Machiavellus ad emendationem proposuit.

Ea igitur res militaris in Italia erat : Miles mercede conductus a cive non veste tantum, sed morum asperitate, sæviendo, fallendo, abhorrebat. Exercitus ex iis solis constare solebant qui ultro militiam adierant, atque, utpote sine delectu congregatis, ex hominibus nequissimis. Pace exauctoratus miles, iisdem artibus, quibus bello assueverat, latrociniis scilicet, vivebat; unde proverbium illud florentinum ortum erat : prædones facit bellum, pax patibulo suspendit.

Cataphractorum equitatus in exercitibus prævalebat (1). In peditatu autem plurima desiderabantur. Pedites arma ad nocendum, non autem, præter loricam, arma quibus tegerentur, habebant; nullus galea, nullus scuto muniebatur. Musica ad resonandum, signa ad ostentandum, non ad motus indicandos ordinesque servandos proderant. Impedimentis gravabantur exercitus; cataphractus quisque quaternos equos habebat.

In dimicando acies una esse solebat, quanquam in itinere, primi et novissimi agminis vocabulis, triplex esse videbatur.

Miles neque domi neque quum stipendia faceret exercebatur. Non cibaria, non utensilia portabat; panis vinique copiam sibi fieri exigebat, neque fossam ducere neque securi purgare iter volebat. Præda militi condonabatur. Castra alea feminarumque amore cor-

(1) Cf. Pauli Jovii *Hist.* lib. II : « Peditem expugnandis tantum urbibus idoneum, » apertis autem in præliis prorsus inutilem ducebant. »

rumpebantur. Quid plura? Ut ipse Machiavellus ait, res militaris deterrima erat (1).

His sui temporis vitiis Machiavellus disciplinam eam opponit quam fere totam ab antiquis sumpsit. Duæ tamen partes in *Arte bellica* discernendæ sunt; prior qua Machiavellus disciplinam antiquam suam, ut ita dicam, facit; posterior qua imitatione nimia antiquitati inservit.

Quod sive ad delectum, sive ad armaturam, sive ad constitutionem, sive ad exercitationem, sive ad ordinationem militum spectat, egregia quidem, et si minus recta semper, semper profecto de se sentit.

Effatur primum, Romanis in exemplum assumptis (2), militiam non exercendam esse mercedis causa virumque bonum non esse eum qui nihil nisi arma exercere soleat. Sæpissime et vehementissime reprehendit usum conductorum mercede militum qui, magna impensa e quolibet loco congregati, sine disciplina, sine fide, sine fortitudine, nulli rei nisi mercedi et prædæ studeant atque rem militarem in vilitatem tantam demiserint ut bellum ipsum sine periculo, sine labore etiam ullo, fecerint (3). Militum mercede conductorum usum eam esse causam dictitat cur et gentes plurimæ in discrimen adductæ fuerint et præsertim Italia in tot et tanta mala et tantam ruinam delapsa sit (4).

In militiam igitur suos, non alienos, civitati cuique educendos esse (5) profitetur, civitatesque eas tuto stare et vigere solas quæ

(1) « La terza qualità d'eserciti è, dove non è furore naturale, nè ordine accidentale, come sono gli eserciti nostri italiani de' nostri tempi, i quali sono al tutto » inutili... Si vede ciascuno dì come ei fanno prove di non avere alcuna virtù. » *Discorsi*, III, 36. — Cf. *Lett. a Vettori*, 10 aug. 1513.

(2) « I miei Romani... mentre che furono savj e buoni mai non permessero » che i loro cittadini pigliassino questo esercizio per loro arte. » *Arte della » guerra*, I.

(3) « Le mercenarie [armi] ed ausiliari sono inutili e pericolose...; perchè le sono » disunite, ambiziose, senza disciplina, infedeli, gagliarde tra gli amici, tra i » nimici vili, non hanno timore di Dio, non fede con gli uomini. » *Principe*, 12. — Cf. *Discorsi*, I, 43; *Provvisione per le fanterie*, Proemio.

(4) « Quale pericolo porti quel principe o quella repubblica che si vale della » milizia ausiliaria e mercenaria. » *Discorsi*, II, 20. — « La rovina d'Italia non è ora » causata da altra cosa che per essere in spazio di molti anni riposatasi in su le » armi mercenarie. » *Principe*, 12. — Cf. *Principe*, 13, 24. *Lett. a Vettori*, 26 aug. 1513.

(5) « Perchè non si può avere nè più fidi nè più veri nè migliori soldati. » *Principe*, 26.

armis propriis utantur (1). Hæc illa de militum delectu sententia est qua Machiavellus potissimum eminet. Rem militarem eo nomine dignam sine militum civili robore stare non posse sæpissime, et quamdiu vixit, clamitavit, auctoritatemque suam, jam eo tempore quo publicis muneribus fungebatur, haud semel adhibuit ut suos ad arma propria impelleret. Anno tandem 1506 perfecit ut militum civile robur Florentia conscribi juberet. Quod quidem reversi Medicei a. 1512 aboleverunt; Machiavellus autem, spe nunquam deposita, hæc ad Franciscum Victorium, die 26 aug. 1513, scribebat: « Persuasum habeas optimos omnium illos esse milites » quos populi armati e civibus suis conscribunt, copiisque illis » nullas alias, nisi ejusdem generis, copias resistere posse. » — Verbis *de Livio* factis plurima de necessitate roboris militum civilis dixit (2). Idem illud in *Principe* diligentissime persecutus est atque etiam affirmavit principem novum suis arma non solum non adimere, sed potius dare (3), adeo ut illius civilis delectus studiosissimus Machiavellus cum sua tyranni institutione dissentire visus sit atque ea ipsa refellere, quæ verbis *de Livio* factis posuerat (4). Imo *Principem* adhortando concludit ut robur militum civile, quo tollantur barbari, constituatur. In *Historia florentina* denique ipsis eis acerbissimis verbis quibus milites mercede conductos descripsit atque contempsit (5), manifestissime indicavit sibi persuasum esse sine civibus armatis rempublicam stare non posse.

Quapropter et semper stipendia facientem et e voluntariis unice collectum exercitum Machiavellus in *Arte bellica* rejicit. Militem eum esse vult qui non domum, nisi bello, relinquat; pace et domum

(1) « Stettero Roma e Sparta molto secoli armate e libere. » *Principe*, 12. — « Concludo adunque che senza avere armi proprie nessuno principato è sicuro. » *Ib.*, 13.

(2) « Quanto biasimo meriti quel principe e quella repubblica che manca d'armi » proprie. — Debbono i presenti principi e le moderne repubbliche, le quali circa le » difese ed offese mancano di soldati propri, vergognarsi di loro medesime. » *Discorsi*, I, 21. Cf. *Ib.*, II, 20; III, 31.

(3) « Non fu mai adunque che un principe nuovo disarmasse i suoi sudditi, anzi » quando gli ha trovati disarmati gli ha sempre armati. » *Principe*, 20.

(4) *Discorsi*, I, 43. In eo capite de Tito Livio monstravit Machiavellus cur Romani cives, a decemviris oppressi, non eadem virtute eademque disciplina, qua antea, pugnaverint.

(5) « Di queste vilissime armi. » *Istorie fiorentine*, I. — « Si deboli e male ammi- » nistrate armi. » *Ib.*, V. — « Perverso modo di milizia. » *Ib.*, VI, etc.

repetat et repetere valde cupiat; interdum tamen ad arma, festis diebus, exerceatur (1); stipendium bello tantum habeat.

Milites igitur non ex omni parte accipiendi sunt, sed e spectatissimis et honestissimis (2) deligendi, victumque jam bona arte aliqua comparantes. Idcirco non e voluntariis tantum exercitus constare potest. Ad conquisitionem invitorum, qua una delectus vere haberi possit, Machiavellum inclinare liquet, qui, Polybio auctore, conscribendi apud Romanos exercitus rationes explicare amet. Tantum autem inter antiqua et Machiavelli tempora intererat ut antiquam comparandorum militum consuetudinem repetere prorsus non audeat, incertisque verbis, sicut incerto animo, dicat conscribendum esse militem neque omnino voluntarium neque omnino invitum (3). Juvenes a septimo decimo usque ad quadragesimum ætatis annum ad constituendam militiam primum conscribit; qua composita juvenes tantum septimum decimum annum agentes ad supplementum adhibet.

Quum armis non instructi tantum, sed etiam muniti Romani fuerint, sui quoque temporis milites armis tutius protegendos esse Machiavellus contendit, et non solum galea, sed scuto pedites esse muniendos. Armaturam excogitat quam partim a Romanis, partim a Græcis, necnon et ab Helvetiis sumpsit : sena inter millia hominum, quibus legio a Machiavello composita constat, trina millia gladios et scuta more Romanorum habent, bina millia hastas more Græcorum et Helvetiorum, milleni homines ferreas fistulas gestant quibus glandes emittuntur, quemadmodum fundis et arcuballistis veteres utebantur. Extra ordines fusi velites, cum fistulis ferreis, pugnam lacessendo inibunt; equos repellent primis in ordinibus hastati; quos pone scutati peditatum, si opus erit, sustinebunt atque invadent, neque rem ancipitem esse sinent.

Quod ad equitatum spectat, vix aut ne vix quidem nova profert Machiavellus; imo sui temporis equitum armaturam armatura veterum potiorem habet. Peditatum autem, Romanos secutus (4), equi-

(1) « E sempre ne' giorni oziosi si eserciterebbero. » *Arte della guerra*, II

(2) « E che in lui sia onestà e vergogna, altrimenti si elegge un' istrumento di » scandalo ed un principio di corruzione. » *Ib.*, I.

(3) « Però si debbe prendere una via di mezzo, dove non sia nè tutta forza, nè » tutta volontà, ma siano tirati da uno rispetto ch' egli abbiano al Principe, dove » essi temano più lo degno di quello che la presente pena. » *Ib.*, I.

(4) « Io giudico che non si debba tener più conto de' cavalli che anticamente se » ne tenesse. » *Arte della guerra*, II. — « Come per l'autorità de' Romani e pe » l'esempio della antica milizia, si debbe stimare più le fanterie che i cavalli. » *Discorsi*, II, 18.

tatui præponit, quum, multo magis quam equites, ordinem variare atque servare, se ad aciem colligere, omnia loca adire atque ubique prodesse pedites possint. Asseverat e peditibus ante omnia exercitum constare debere (1), atque ex eo quod equites peditibus anteponantur militiæ inclinationem et imbecillitatem significari. Equites quidem adhibet, sed ad explorandum, populandum, intercipiendum et persequendum, non autem ad dimicandum enixe solisque viribus vincendum.

Exercitii usu militem bello assuetum fieri oportere Machiavellus censet. Quare exercitia antiqua ad suum tempus accommodat; ea, Vegetio auctore, commemorat quibus juvenes fiant validiores, alaciores, solertiores; ea deinceps quibus unusquisque jam præparatus miles jungi cum ceteris discat et decurrere. Ab antiquis expertus quantum valeat bene compositum agmen, ducum, signorum, tubicinum ac cornicinum numerum, Romanorum more, magnum esse vult; ita ut qui gregariis militibus præsint exercitum tanquam muro includant; signa ordinem prænuntient; tubicines et cornicines consistendi, procedendi, recedendi vertendive tempora doceant. Præcipit ut verbis dux militem animi sui quasi participem faciat; imo antiquam concionandi rationem revocari vellet (2). Pravissimum esse existimat ingentem rerum apparatum; ad romanam modestiam quanquam non omnino reversus, multa impedimenta tollit, militem cibaria et utensilia portare, et, quando opus sit, fungi vice fodientis jubet. Romanorum more, militi frumentum, lardum, hordeum distribuit; vinum autem neque prohibet neque habendum curat. Prædam quoque jubet non militibus condonari, sed in ærarium redigi, quod Romani facere solebant (3).

Sicut jam Romanorum et Græcorum miscuerat arma, romanam et græcam disciplinam in instruenda acie miscet (4). In fronte quinque

(1) « Il nervo e l'importanza dell' Esercito è la fanteria. » *Arte della guerra*, II. — « Possono le fanterie ordinate facilmente rompere i cavalli e difficilmente esser » rotte da quelli... Il fondamento e il nervo dello esercito... debbono essere le » fanterie. » *Discorsi*, II, 18.

(2) « Donde quel Principe o Repubblica, che disegnasse fare una nuova milizia e » render riputazione a questo esercizio, debbe assuefare i soldati a udire parlare il » Capitano, ed il Capitano a saper parlare a quelli. » *Arte della guerra*, IV.

(3) « Quel principe o quella Repubblica è dalle vittorie e dalle guerre arricchitto » che... è delle prede. . signore. » *Ist. fior.* VI. — Cf. *Discorsi*, II, 6.

(4) « Questa forma d'Esercito così ordinato può tenersi nel combattere l'ordine » delle Falangi e l'ordine delle Legioni Romane. » *Arte della guerra*, III.

ordines hastatorum atque pone scutatos collocat, ita ut non solum equitatus, sed etiam peditatus, sustineatur atque frangatur. Aciem triplicem simul atque densatam informat. Romanorum secutus exempla (1), triplicem in dimicando, non unam, aciem esse debere contendit, ut prælii eventus non in aleam primi impetus committatur, atque, si opus erit, secunda acies primam, tertia primam et secundam aciem recipiat præliumque redintegretur. Quum igitur triplici illa acie prælium ter committi possit, romanæ legionis ordinationem Græcorum et Helvetiorum phalange Machiavellus potiorem habet. Simul autem, Græcos et Helvetios imitatus, hortatur ut alta densataque instruatur acies caveaturque ne latior atque tenuior explicetur.

At enim densi ordines recentioribus illis machinis patent quæ pulvere sulfureo globos jaculantur; illas armatura quælibet, etiam gravissima, sustinere non potest. Negat Machiavellus machinas illas non solum antiquæ disciplinæ, sed etiam antiquæ ordinationi revocandæ obstare posse. Negat illas in acie multum valere utpote quæ fragorem magis quam periculum afferant. Imo affirmat illas rerum eventui nocere magis quam prodesse quum pugnantes utrinque fumo occæcent; illas in acie relictis intervallis eludi posse, sicut antiqui quadrigas falcatas elephantosque eludebant; machinis denique illis rei militaris inclinationem significari, quemadmodum, labente imperio romano, machinæ immanes in acie apparuerunt. His verbis argumentum concludit : « *Di che ne seguita, che quanto* » *meglio armato è uno Esercito e quanto ha gli ordini suoi più serrati* » *e più forti, tanto è più sicuro* (2). »

Obstinatiore veterum amore Machiavellus certe deceptus est. Ejus tamen tempore plurima erant quæ sententiæ ejus rationem et quodam modo excusationem hodie nobis afferant; quæ pleraque demonstrata apud ipsum Machiavellum reperire est. Tunc enim machinæ illæ, de quibus verba facit, partim fabricatione rudi, partim imperitia hominum qui illis utebantur, ad vehendum atque ad tractandum inhabiles maxime erant. Immanioris formæ erant et secum raro constantis, pluribus fragmentis ferreis structæ, lapideasque pilas plerumque jaculabantur. Mole sua impeditæ, boum jugis in Italia sæpe vectæ, non sine maxima difficultate sive in agmine

(1) Cf. *Discorsi*, II, 16.
(2) *Arte della guerra*, III. — Cf. *Discorsi*, II, 17.

sive in acie movebantur (1). In acie, quum in aversum ingenti circuitu circumagendæ essent (2), intra militum ordines servari non poterant atque in fronte statui solebant; unde fiebat ut, progredientibus militibus, jam nulli usui essent (3), atque semel tantum, commisso nondum prælio, pilas emitterent. Magno præterea intervallo globos torquebant rursusque ad novos jactus instruebantur; ad altiora humiliorave loca pilas sine ictu, supra capita hostium trajectas, plerumque jaculabantur. In defendendis urbibus, magnitudine sua vix aut ne vix quidem in muris spatium habebant quo subsiderent atque certo libramento statuerentur (4).

Plurima reperire est illo tempore exempla quibus demonstratur quam parum illæ machinæ proficere solerent. Sic ad Tarum flumen, quo tria millia et quingenti homines perierunt, ne decem quidem homines machinis illis sunt interfecti (5). Helvetii machinis illis non contineri neque a phalange facienda prohiberi, sed pilarum semel conjectum pati, machinas hostiles audacter invadere atque occupare solebant; quod novissime ad Novariam a. 1513 rursus fecerant (6). — Item, quum jam fistulæ minores quibus glandes parvæ emittuntur adhiberi cœpissent, multum aberat ut qui illis utebantur pars magna in exercitu essent (7); etiam tunc enim arcuballistæ atque præsertim arcus potissimum æstimabantur atque valebant (8).

Jam autem plerique homines naturæ quodam instinctu præsentiebant quantam mutationem pulvis sulfureus inventus priori bellicæ rationi esset allaturus; quantum suo ipsius tempore sententia ea increbuisset testatur Machiavellus. Jam Gallorum tormenta, ex ære conflata, ferreas pilas emittentia, axis suis suspensa, « quæ equorum jugis per æqua pariter atque iniqua loca incredibili

(1) Guicciardini, *Ist.* XV.

(2) « Perchè l'artiglierie camina per uno verso e traggono per l'altro. » *Arte della guerra*, III.

(3) *Arte della guerra*, III. — *Discorsi*, II, 17.

(4) *Discorsi*, II, 17.

(5) « Je ne crois point que l'artillerie des deux costés tuast dix hommes. » *Comines*, VIII, 6. — « Nec interim tormenta utrinque cessabant quanquam ancipiti » vel inani periculo in permixtos sæpius emitterentur. » *Pauli Jovii Hist.* II.

(6) Jean Bouchet, *Panegyric de Loys de la Tremoille*, ch. 22.

(7) « Singula autem peditum millia sclopettariorum centuriam habebant » *P. Jovii Hist.* II, de Carolo septimo Romam ingrediente.

(8) « Mon advis est que la souveraine chose du monde pour les batailles sont les » archiers. » *Comines*, I, 3.

celeritate ducebantur (1), » admirationem in Italiam terroremque simul injecerant. Jam denique usus ipse demonstraverat quantum sulfureus pulvis valeret (2) atque præsertim in eo erat ut demonstraret. Fatetur ipse Machiavellus magnis tormentis novis urbes oppugnatas resistere non posse (3). Interdum etiam in dubio esse neque sibi constare videtur. Una enim parte dicit minores fistulas fere nihil valere nisi ut formidinem rusticis faciant (4), altera autem necessarias esse eas affirmat (5), suumque in exercitum admittit, sed velitibus unis fundæque locum tenentes. Tormenta magna modo et plerumque irridet, modo vitari non posse censet (6), nisi manu invadantur, neque adversus ea ullam ordinationem, ulla arma unquam reperiri posse (7). Demonstrat quidem futurum fuisse ut Romani veteres, si tormenta ea cognovissent, eis non modo non inhibiti, sed ad imperium proferendum adjuti fuissent; demonstrat quoque non in eis tormentis stare causam cur militaris disciplina atque virtus in Italia ceciderint (8); quod autem affirmat, eadem scilicet tormenta ea contra antiquam Romanorum ordinationem et armaturam nihil valere, non probat.

Rectius profecto consulit Machiavellus quum Romanorum exempla suo tempori opponens exposcit ut militiæ magistris liberum arbitrium de bello administrando permittatur (9). In exemplum quoque Romanos edit qui tempus et vires in urbe diutino apparatu oppugnanda non consumebant, sed urbem corona et repentino impetu aggrediebantur; quare bellum illud, non quo in obsidenda arce

(1) *P. Jovii Hist.* II. — Cf. Guicciardini, *Ist.* I.

(2) Illud ipse testatur Machiavellus verbis de pugna ad Ravennam commissa factis. *Discorsi*, II, 17.

(3) *Discorsi*, II, 17.

(4) *Arte della guerra*, II, ad finem.

(5) « Lo scoppietto istrumento nuovo... e necessario. » *Ib.*, II.

(6) « Voi avete ad intendere che a volere che una artiglieria non ti offenda è » necessario o stare dov' ella non ti aggiunga, o mettersi dietro ad uno muro, o » dietro ad uno argine. Altra cosa non è che la ritenga, ma bisogna ancora che » l'uno e l'altro sia fortissimo. » *Ib.*, III. — « A volere che l'artiglieria nemica sia » inutile, non è altro rimedio che assaltarla. » *Ib.*

(7) « Pare per questo vostro parlare che i moderni abbiano trovati ordini ed armi » che contro all' artiglieria sieno utili. Se voi sapete questo, io arò caro che voi me » l'insegniate; perchè infino a quì non ce ne so io vedere alcuno, nè credo se ne » possa trovare. » *Ib.*, III.

(8) *Discorsi*, II, 17.

(9) *Discorsi*, II, 33; III, 10.

moratur exercitus, sed quo decernitur acie, suadet (1). Imo, sive in defendenda regione propria, sive in continenda regione parta, castella non modo non prodesse, sed etiam nocere affirmat (2), multoque melius populos coloniis eis cohiberi quas, magna sine impensa et magna cum utilitate, Romani in agro captivo constituere solebant (3).

Ea denique Machiavellus, antiquis præceptis usus, exponit quæ, semper vera, semper necessaria, omnibus temporibus atque omnibus armorum generibus conveniant: scilicet ut miles animo honesto sit et diligentissimo officii; dilucidus ordo severaque disciplina serventur; impedimentis non implicetur agmen; duces regionum sint periti (4) atque in incedendo itineraria non solum adnotata, sed etiam picta, habeant; præmittatur et circummittatur ad explorandum.

Illos autem intra fines non se Machiavellus continuit neque semper ea observavit quæ eodem illo *De arte bellica* opere professus est: se scilicet de antiqua militia ea tantum esse commemoraturum quæ ad usum temporis sui pertinerent. Romanos enim adeo admiratur ut tandem fere omnino imitetur eos eorumque, ut ita dicam, habitum vultumque sectetur. Hujus imitationis nimiæ ea sunt exempla: Militum catervam, quam excogitat, romanæ legionis instar, senis millibus peditum format; catervam in cohortes, cohortes in centurias, centurias in contubernia dividit; catervæ equites trecenos addit. Viginti et quatuor millibus hominum, romani exercitus instar, exercitum suum componit, conflatum e binis catervis quorum in lateribus catervas binas alias, ad effigiem auxiliarium, collocat. Romanorum decursionis, ordinationis, depugnationis, metationis varia genera refert. Quæ sive ante prælium, sive in prælio, sive post prælium cavenda sint, a Romanis omnia sumit. Vegetium sæpius ad verbum transcribit, atque ad finem operis sui, iisdem verbis eodemque fere ordine, præceptorum

(1) « E videro che con una rotta d'esercito inimico acquistavano un regno in un » giorno, e nel pigliare per ossidione una città ostinata consumavano molti anni. » *Discorsi*, II, 32.

(2) « Le fortezze generalmente sono molto più dannose che utili. — E voglio mi » basti l'autorità de' Romani. » *Discorsi*, II, 24. — *Principe*, 20.

(3) « Nè poteva questo modo esser più sicuro o più forte o più utile. » *Discorsi*, II, 6. Cf. I, 1. *Principe*, 3. — « La sicurtà nasce perchè quella colonia... è come una » rocca ed una guardia a tener gli altri in fede. » *Ist. fior.* II.

(4) Cf. *Discorsi*, III, 39.

seriem compilat quæ apud Vegetium reperias. Cives suos reprehendit qui hiberna bella agitent quum Romani et hieme et in montuosis regionibus pugnam detrectarent. Non solum ordinum observationem tubarum cornuumque concentu significari vellet, sed etiam eosdem illos bellicos cantus reperiri quibus antiqui utebantur. Non solum ab antiquis ea repetit quæ integritatem, sanctitatem, jurisjurandi religionem confirment; sed etiam ea quæ, in pravam superstitionem versa, animos inani metu ementitisque prodigiis moveant. Imo sincera simulataque in unum quasi confundit, Joannamque Darciam ipsam a ministris Caroli regis septimi callide inventam fuisse contendit. Religionem profecto omni laude cumulat servandamque esse vehementissime dicit; prava autem sit an sincera, nihil ad rem; in religione enim instrumentum imperii videt (1).

Tanquam in libro de *Principe*, quid bonum sit, quid malum nescire interdum videtur et considerare tantum quid consecuturus sit, non autem per quid consequatur. Quapropter studio, ut ita dicam, italico strategemata (2) antiqua accumulat, neque ea tantum quæ prudentiam, audaciam, industriam demonstrant, sed etiam quæ perfidiam; imo ea ipsa refert quæ vel inania vel etiam ridenda docent.

Perpetua admiratione veteres amplexus Machiavellus, recentiores tamen populos in exemplum aliqua parte proponit, sed eos tantum qui aliquid de antiqua disciplina retineant. Germanicas itaque civitates collaudat quæ suos assiduo exercitii usu ad militiam informent semperque ad arma sint paratæ (3). Helvetios præsertim omni studio suo prosequitur qui non solum robur militum proprium habeant, sed hastis prælongis, more Græcorum, armati atque in unum corpus phalangis densati e peditibus unice constent, cataphractorum equitatum frangere, tormenta hostilia parvi facere atque invadere soleant, atque non solum armis, sed moribus et libertate veteres aliqua parte revocavisse videantur (4). Helvetios

(1) Cf. *Discorsi*, I, 11: « E vedesi chi considera bene le istorie romane quanto » serviva la religione a comandare agli eserciti. » — *Ib.*, 14, 15.

(2) Cf. *Discorsi*, III, 14.

(3) *Rapporto di cose della Magna.* — *Principe*, X. — *Discorsi*, II, 19.

(4) « Svizzeri i quali soli dell' antica milizia ritengono alcun' ombra. » *Arte della guerra*, II. — « Svizzeri i quali oggi sono quelli soli popoli che vivono, e quanto » alla religione e quanto agli ordini militari, secondo gli antichi. » *Discorsi*, I, 12. — « Stettero Roma e Sparta molti secoli armate e libere. I Svizzeri sono armatissimi » e liberissimi. » *Principe*, 12.

rei militaris restitutores atque magistros (1) esse profitetur; Helvetios iterum atque iterum commemorat, eorumque exemplo recentiore confirmat ea quæ de antiqua disciplina renovanda suadet. Imo, non sine formidine Helvetios intuetur qui, civibus armatis instructi, Italicæ libertati minas intendere et, more Romanorum, imperium suum bello proferre possint (2). Helvetiorum autem phalange et armatura potiorem habet ordinationem armaturamque eam quam ipse, Romanis simul Græcisque necnon et Helvetiis in auxilium advocatis, animo suo concepit; ea enim et prælium, si res in dubio sit, renovari, et non solum equitatum, sed peditatum cohiberi et perfringi posse censet. Quapropter suum *Principem* hortatur ut non solum ea quæ de civibus conscribendis, sed etiam quæ de militibus armandis atque ordinandis præcepit, experimento tententur (3); ea enim ratio est qua barbari de Italia tollantur.

Illa habes quæ Machiavellus de re militari recreanda professus est; quæ quidem a moribus illius temporis maxime abhorrebant; attamen adeo non in umbra domestici otii latuerunt ut contra in vulgus brevi emissa sint atque claruerint. Jam enim ab anno 1521 *Ars bellica* typis mandata fuit, idque eo magis conspicuum est quod, Machiavelli ex operibus, unum illud, præter fabulam quæ dicitur *Mandragoras*, vivo auctore impressum est. Trans Alpes Machiavellum fama cito transtulit, namque in Gallia, priore sexti decimi sæculi parte nondum exacta, opera reperire est quibus, ut postea dicendum est (4), ea, quæ de re militari Machiavellus senserat, commemorata sint atque etiam transcripta. Nostro denique tempore Machiavellum Italia suæ militaris rationis institutorem salutavit, sicut hæc testantur in ædibus Machiavelli Florentiæ hodie inscripta: « *A Nic. Machiavelli dell'unita nationale precorritore audace e indivino e d'armi proprie e non adventitie primo institutore e maestro...* »

§ III

De ceteris scriptoribus italicis.

Plurimi in Italia, renascentibus litteris, scriptis tractaverunt ea quæ ad rem militarem spectant. Plerique, fateor, antiquam militiam

(1) « I Svizzeri che sono i maestri delle moderne guerre. » *Discorsi*, II, 16.
(2) *Lett. a Vettori* die 10, 26 aug. 1513.
(3) *Principe*, 26.
(4) V. in hoc nostro opere l. II, C. 3, § 3.

non revocare solent, sed novas artes curant recentiori bellorum necessitati accommodatas. In omnibus autem prolem illam, ut ita dicam, reperire est, quæ, juvante antiquæ disciplinæ renovatione, exorta est (1). Quod quum ita sit, brevissime eos enumerare conabor qui in Italia, usque ad annum 1550, rem militarem vel universam vel parte aliqua scriptis tractaverunt.

Franciscus Patricius Senensis, pontifex Caietanus, Vegetium, Frontinum veteresque plurimos auctores subsecutus, rem militarem duobus operibus tetigit. In libro tertio operis quod, circa a. 1470, *De institutione reipublicæ* (2) composuit, conscribendorum tironum excubiarumque exercendarum rationes ab antiquis repetitas; in octavo, muniendæ urbis; in nono præsertim, belli parandi rationes exposuit. Idem ille, in libro tertio operis quod, circa a. 1482, *De regno et regis institutione* (3) fecit, quanquam pauca de militia agitat, varia genera exercitationum enumeravit bello conducentium; in libro sexto accurate descripsit nova illa instrumenta bellica, « quæ, ful- » minum tonitruumque instar... firmissimos quosque muros latissi- » maque mœnia in ruinas scissa... decutiunt. »

Quinto decimo sæculo scripsit de certamine singulari Paris de Puteo (4) Neapolitanus, juris utriusque doctor; de re militari Joannes Baptista Pius (5) Bononiensis, latinæ et græcæ linguæ magister.

Sexto decimo sæculo scripserunt de re militari Petrus Montius (6)

(1) Sunt etiam qui, nova quanquam tractantes, temere atque ridicule antiquitatem imitatione assectentur. Sic Biringuccius, disserens de variis ignibus quibus tela emittuntur, in ultimo capite describit ignem illum « qui consumit et » non facit cineres, et plus quam quivis alius ignis valet, cujus scilicet faber est » magnus filius Veneris; » *del fuocho che consuma et non fa cenere et e potente più che altro fuocho del quale ne e fabro el gran figliol di Venere.*

(2) *De institutione reipublicæ libri novem... hactenus nunquam impressi.* Parrhisiis impress. opera Petri Vidoue, 1518, fol; 1520, 1534.

(3) *Enneas de regno et regis institutione... opus hactenus nunquam impressum.* Parrhisiis, impress. opera Petri Vidoue, 1519, fol.

(4) *Libellus de re militari, ubi est tota materia duelli, seu singularis certaminis.* (Neapoli; 1471?) fol. Exc. Sextus Riessinger. Eodem circiter tempore, excudebat Riessinger idem opus italicum, fol. — Paridis opus latinum Mediolani 1508; italicum Neapoli 1518, Venetiis 1525, 1530; hispanicum Hispali 1544 exiit.

(5) *Tactica de re militari.* Bononiæ, 1500, 4. Exc. Joannes Antonius Platonides.

(6) *Exercitiorum atque artis militaris collectanea in tres libros distincta.* Mediolani, 1509, fol. Scripsit quoque Montius *De singulari certamine,* Mediolani, 1509, fol.

Mediolanensis, Antonius Manciolinus (1) Bononiensis, Alfonsus Adrianus (2); de tractatione armorum Achilles Marozzus (3) Bononiensis; de certamine singulari Andreas Alciatus (4) Mediolanensis. Joannes Baptista Vallus (5) Venafranus rationes eas exposuit quibus muniantur, defendantur, expugnentur arces, fabricentur ignes sulfurei et globi bellici ex ære cavo, instruatur acies, moveatur agmen, certamen singulare fiat. Vanoccius Biringuccius (6) Senensis artem ostendit qua bellicæ ex ære machinæ, sulfureus pulvis ignesque plurimi fabricentur.

Multi præsertim exstitere in Italia (7) qui de oppidis condendis, muniendis, expugnandis scripserint. Quinto decimo sæculo Paulus Santinus de diversis et præcipue de bellicis machinis a. circiter 1450 libros decem composuit qui nunc etiam manu tantum scripti remanent. Leo Baptista Albertus (8) Florentinus, illa tempestate celeberrimus, qui latina italicaque multa de pictura, de amore, de republica, de principe scripsit, libros quoque decem latinos de architectura elucubravit, Vegetium veteresque alios scriptores in exemplum revocans atque unice secutus. Francisci Georgii Martini (9) opus de architectura nostro tantum sæculo impressum est. Leonardus ille Vinciensis, qui tot tantisque rebus ingenium suum

(1) *Di Antonio Manciolino opera nova, dove li sono tutti li documenti et vantaggi che si ponno havere nel mestier de l'armi d'ogni sorte...* Vinegia, 1531, 8.

(2) *Della disciplina militare del capitano Alfonso Adriano libri III.* Vinegia, 1550, 8.

(3) *Opera nova de Achille Marozzo bolognese, mastro generale de larte de Larmi.* Mutinæ, 1536, 4; Vinegia, 1550, 4.

(4) *Andreæ Alciati jurecons. clariss. De singulari certamine liber.* Lugduni, 1543, 8. Idem opus italicum 1545, gallicum Parisiis 1550 exiit.

(5) *Vallo libro continente appertinente a capitanii, retenere et fortificare una citta con bastioni, con novi artificii de fuoco aggionti... et de diverse sorte polvere et de espugnare una citta con ponti, scale... fare ordinanze, battaglioni...* Vinegia, 1524, 1528, 1529, 1531, 1535, 1539, 1543, 1550, 8. Gallice Lugduni 1529, 1531, 4. Valli opus conscriptum est.

(6) *De la pirotechnia libri X... per il S. Vanoccio Biringuccio.* Venetia, 1540, 1550, 4.

(7) Primus autem qui, volumine separato, de urbibus, arcibus castellisque muniendis scripsit, non est italico sed germanico genere ortus, Albertus Durerus scilicet, cujus opus, germanica lingua conscriptum, Norimbergæ 1527, fol; et rursus 1530, 1538 editum est.

(8) *Alberti Incipit de re ædificatoria.* Florentiæ, 1485, fol. Exc. Nicolaus Laurentius. Idem opus Parisiis 1512, 1543; Argentorati 1511, 1541; in italicam linguam a Cosimo Bartolo traductum, Florentiæ, 1550, fol. editum est.

(9) *Trattato di architettura civile e militare di Francesco di Giorgio Martini.* Torino, 1841, 4.

applicuit, multa de muniendis expugnandisque oppidis, de bellicis machinis exstruendis, de cuniculis agendis excogitavit.

Sexto decimo sæculo, Nicolaus Tartaglia (1) Brixiensis mathematica ad artem militarem accommodavit. Joannes Baptista Belicus (2), Fano Sancti Marini ortus, de condendis arcibus circa a. 1547 librum fecit. — Quid plura? Et historia et vocabulis ipsis plurimis etiam nunc usitatis (*citadelle, parapet, casemate, gabion*, etc.), Italos ejus artis, qua civitates muniuntur et expugnantur, magistros fuisse constat. Quod si eos, quos mihi proposui, anni 1550 fines excederem, quam multi præterea scriptores italici, de muniendis expugnandisque urbibus, de metandis castris, de instruenda acie, de tractatione armorum, de exercitatione equestri, de re militari universa occurrerent.

CAPUT III

De scriptoribus gallicanis.

§ I

De tertio decimo et de quarto decimo sæculo. L'arbre des batailles.

In Gallia ætates tres distinguam : primam qua scriptores ævi, quod dicitur medium, disciplinam nondum excusserant; secundam qua, afflante jam antiquo spiritu, nova excogitare cœperunt; tertiam qua datum ab Italis signum summo studio observaverunt.

Jam sub posteriore tertii decimi sæculi parte vetus rei militaris doctrina paulum reviviscere visa est. Vincentius Bellovacensis, in *Speculo* suo (*Speculum doctrinale*, lib. XI) rem militarem, tanquam cetera, tractavit; Vegetii libros quatuor fere totos ad verbum transcripsit, suppresso interdum uno aut altero orationis membro, consutisve diversorum capitum fragmentis. Joannes Clopinellus Maudunensis, qui opera latina plura in gallicam linguam transtulit,

(1) *Quesiti ed invenzioni diverse di Nic. Tartalea.* Vinegia, 1546, 1550, 4.

(2) *Nuova inventione di fabricar fortezze, di varie forme, in qualunque sito.., Di Giovan Battista Belici.* Venetia, 1598, fol.

Vegetium quoque gallice vertit, ut ipse testatur in epistola quam Philippo quarto Francorum regi, in principio *Consolationis* Boetii a se gallice versæ, inscripsit. Vegetium a. 1284 transtu lisse in gallicam linguam videtur Clopinellus, jussu Johannis comitis Brionæ.

Ægidius Columna Romanus, qui tunc in Universitate parisiensi unice florebat et postea Biturigum archiepiscopus factus est, Philippo Pulchro adolescenti, ad quem hereditas regni Francorum pertinebat, libros tres *De regimine principum* conscripsit (1). In ultima parte tertii libri rem militarem Ægidius aggreditur. Vegetium fere semper sequitur, sententias Aristotelicas intermiscet, neque multa de se adjicit nisi, scholastico more, definiendo, dividendo minutius, et amplificando. Bis tamen a Vegetio dissidet; primum quum Vegetio milites e rusticis potissimum deligenti hæc opponit : « Sunt autem alia per quæ videtur ostendi urbanos et nobiles » meliores esse pugnantes. Nam inter cetera, per quæ quis redditur » bonus pugnativus, est (ut dicebatur) velle honorari ex pugna » et erubescere turpem fugam. » (L. III, pars III, cap. V.) Postea Vegetii astutiæ adversatur his verbis : « Secundum Vegetium debet » dux inter suos hostes... mittere dissensiones... ut de se invicem » non confidant... Sed hæc cautela, licet ponat eam Vegetius, non » multum est appretianda quia repugnaret bonis moribus. » (L. III, pars III, cap. XIV.)

Carolo sexto Francorum regi adolescenti Honoratus Bonnetus aut Bonnor, ex ordine theologorum, dedicabat opus quod inscribitur *l'Arbre des batailles* (2). Opus illud, fama tunc celeberrimum scribarumque plurimorum manu propagatum breviter describere mihi liceat, unde clarius perspiciatur quantum ætas posterior progressa sit. Inconditæ sylvæ speciem præbet Bonneti opus in quo Vegetii præcepta, medii ævi documenta, scholasticæ doctrinæ exempla, verborum aucupia, divina atque humana, subtilissima et obscurissima, mixta congestaque reperias. Bonneti opus divisum est in quatuor partes. In prima parte de jurgiis agitur quæ spectant ad religionem; scrutatur primo Bonnetus unde prælia orta sint eaque

(1) Ægidii opus *De regimine principum* primum 1473 Augustæ Vind. fol. et sæpe postea diversisque in locis impressum est.

(2) Lyon? 1480? fol.; Lyon, 1481, fol.; Paris, 1493, Anthoine Verard, fol.; Paris, 1493, Jehan du Pré, fol; Paris, Michel le Noir, 1505, 1510, 1515, 4; Lyon (sans date), Olivier Arnoullet, 4; Paris 1527, Philippe le Noir, 8.

repetit a cælo (1); de angelis postea fusius disserit quos sib apparuisse sanctus Johannes in Apocalypsi dixit, atque ex ea visione historiam universam christianæ religionis, martyrum, pontificum, sanctorum, schismaticorum interpretatur. — In secunda parte de jurgiis agitur quæ spectant ad regna; summa quatuor illa regna, Babyloniorum, Carthaginiensium, Macedonum, Romanorum, Bonnetus, auctore Orosio, recenset. — In tertia et quarta parte de jure gentium et de legibus agitur necnon et de quæstionibus plurimis quæ ad virtutes militum et imperatorum, ad usus medii ævi, ad militiam detrectandam, ad stipendia militum, ad privilegia clericorum, ad controversias theologorum, ad inducias, ad fidem datam, ad captivos, ad singulare certamen, ad officia regum et principum spectant (2).

Eadem ferme tempestate, sed paulo posterius, atque, ut videtur, anno circiter 1404, gallice compositum est opus quod inscribitur *Lart de chevalerie selon Vegece* (3). Illud Clopinello aliqui assignaverunt, sed temere et uni titulo nimis confisi, utpote quod multa de temporibus Valesiorum commemoret ipsumque Carolum quintum Francorum regem nominet, neque uni Vegetio inserviat. Christinæ Pisanæ tribuendum est illud, si creditur cuidam e codicibus (4) necnon et Gulielmo Caxtoni qui idem opus in anglicam

(1) « Je demande en quel lieu fut premierement trouvee bataille. Si dis que au » ciel. Car quant le hault sire dieu crea les anges, il en fist ung tant bel et tant » glorieulx que de beaulte il surmonte toutes les aultres creatures celestielles... Et » quant il se vit si noble et si bel il se pensa quil monteroit au plus hault lieu du » ciel, et mettroit illec sa chaire pour estre semblable a nostre seigneur. Adonc » quant il eut ce ordonne de faire bataille fut commencee contre luy et aussi contre » tous ceulx qui de sa partie estoyent. »

(2) « Se cest chose possible que cestuy monde soit en paix. — Par quel droit » peut on mouvoir guerre contre les sarrasins et mescreans. — Se les hommes » daulcun seigneur doyvent aller contre le roy. — Se le filz doit plustost aider a » son pere que a son seigneur naturel. — Se ung prestre ou ung clerc peult ses » biens temporelz deffendre par armes. — Se clercz peuvent aller en guerre. — Se » bataille se peult faire deuement a jour feste. — Se ung chevalier meurt en la » bataille, se nous dirions que son ame soit saulvee ou selle est dampnee. — Se » gens deglise doyvent payer tailles et impositions. — Quelle chose est plus expe- » dient a faire bataille ou a jeun ou apres manger, » etc.

(3) *Lart de chevalerie selon Vegece lequel traite de la maniere que les princes doivent tenir au fait de leurs guerres et batailles... Explicit le livre de droit darmes subtilitez cautelle ad ce servans selon Vegece de lart de chevalerie.* Paris, 1488, fol. Anthoine Verard. — Codices inscribi solent *Le livre des faits darmes et de chevalerie.*

(4) Paulin Paris, *Les manuscrits françois de la bibliothèque du Roi*, nº 7087.

linguam (1) transtulit. — Christinæ, quemadmodum Bonneti, opus in quatuor partes divisum est. Multa profecto sumpsit a Bonneto Christina multaque agitavit quæ ad sua tempora, non ad antiqua, pertinebant. Aliqua tamen ex parte præ Bonneto progressa est, rerum ordine paulo lucidiore et antiquis scriptoribus usa. Vegetium enim in prima parte operis sui præcipue adhibuit; in secunda Frontinum, et simul plurima addidit de expugnandis oppidis, de tormentis bellicis quæ, pulverei ignis auxilio, lapideos globos ingentes jaculabantur. In tertia et quarta parte, usurpata dialogi forma, pleraque ea transcripsit quæ in iisdem operis Bonneti partibus reperire est.

§ II

De quinto decimo sæculo. Le rosier des guerres.

Multo distat ab operibus Bonneti atque Christinæ opus quod inscribitur *Le rosier des guerres* (2). Lucidior, suavior, vividior gallice dicendi forma facta est; ordinatior rerum structura; simpliciores, altiores, prudentiores sententiæ. Imo nova, atque profecto pro tempore audacia, reperire est. Illo opere manifestissime significatur quantum jam valerent antiquorum præcepta restituta.

Opus, de quo nunc agitur, non ultra posteriorem quinti decimi sæculi partem compositum fuisse codices illa ætate jam exarati testantur; imo Ludovicum undecimum Francorum regem operis auctorem et codices et libri impressi denuntiant. Ludovicum autem undecimum auctorem repudiare mihi liceat; neque enim libri impressi neque etiam codices fidei faciendæ sufficiunt, quum illa ætate sæpius libris nomina auctorum ficta inscripta fuerint; quum illa ætate idem opus alteri auctori, de quo post dicendum est, assignatum fuerit; quum præsertim quædam ex ipsis sententiis, quæ in opere continentur, Ludovico regi adversentur. Etenim contra milites ex alienis gentibus conductos illud opus repugnat; a rege autem Ludovico militum illud genus conquisitum fuisse atque in Gallia multiplicatum constat. Eamdem ob causam dubito an etiam jussu

(1) *A book of Xryne of Pyse drawn out of Vegecius de re militari: translated from French into English... by Will. Caxton.* 1489, fol. (Westmonasterii).

(2) *Le rosier des guerres compile par le feu Roy loys unziesme de ce nom.* Paris, 1521, chez la veuve de Michel le Noir, 4. — *Le Rozier historial de France* (illi volumini accedit *Le rosier des guerres*), Paris, 1522, 1528, fol.

Ludovici regis, ut dici solet, atque ad usum Caroli filii, opus compositum fuerit.

Quisquis ille est qui opus scripsit, singularem quidem pro eo tempore librum confecit; tunc demum de re militari vere commentatur. In principio operis normam agendi adjicit, a rationibus philosophorum potius quam theologorum ductam : breve scilicet esse vivendi spatium (1); unde fiat ut illo bene uti debeamus, præsertim de re publica bene merendo. Sic via simplici operis auctor ad rem militarem ducitur.

Jam non admiscentur operi theologorum et jurisconsultorum controversiæ; uni antiquorum scriptorum doctrinæ, atque in primis Vegetii, opus inservit; rei militaris partes plurimas, secundum antiquam disciplinam, recenset, rationes scilicet eas quibus deligantur milites, formetur exercitus, ordinetur agmen incedens, instruatur acies, caveatur quid ante prælium, in prælio, post prælium agendum sit. Omnia ea simpliciter atque breviter complectitur.

Antiqua præcepta non selegit tantum operis auctor, sed etiam eadem proponere cœpit quæ postea Machiavellus. Quantum disciplinam in militia romanam admiretur professus (2), copias ex alienigenis conductas improbat roburque militum civile exposcit (3). Quum in deligendo milite, tum in formando exercitu nova excogitat : milites enim millenos, centenos, denos ita distribuit, ut eadem semper observata ratione, quadraginta millia hominum corpus in unum coalescant (4).

(1) « La plus grant cure que le homme sage doit avoir en cest monde transitoire » est de son ame qui est perpetuelle, et laquelle portera la charge et le fez des » œuvres du corps, qui porrira, quant mort viendra, qui ne espargne grant ne » petit, noble ne villain, feble ne fort, riche ne pouvre, vieulz ne jeune, tout luy » est esgal, et si ne donne plus de terme ne de advis a l'un que a l'autre. » — Ea quidem digna sunt quæ cum Villone poeta conferantur.

(2) « Je ne voy que le peuple Romain ait par nulle autre chose surmonté tout le » monde fors par le traitement des armes, et par la discipline de bien ordonner les » batailles, et par le usage de Chevalerie. »

(3) « Plus proffitable chose est apprendre les siens a le usage des armes que loüer » les estrangiers, pour soy servir en guerre. Encore plus proffitable et plus seure » chose est, de bailler la garde de ses cités, villes et chasteaulx a ceux qui y ont » leurs biens meubles et immeubles, que aux estrangiers, qui ne y ont riens, et » qui ne y auroient quelque dommage ou interestz, si les ennemis y entroient. »

(4) « Si le Prince avoit quatre principaulx Lieuxtenans, et que sobz chacun eust » dix Vicaires, et sobz chacun Vicaire dix Capitaines, et sobz chacun Capitaine dix » dizieniers, et sobz chacun dizienier dix hommes, tous nombres quarante mille » combatans se trouveront. »

Adde quod militaribus præceptis præcepta alia de vita et moribus se insinuant. Non enim verborum lucida brevitate neque sententiarum quarumdam audacia tantum libellus ille eminet, sed etiam flexibili multaque significante oratione necnon et animi magnitudine. Quæ de regum officio in illo dicta sunt non solum ea commemorant quæ postea de re eadem Ludovicus quartus decimus expressit, sed etiam superant, molliora enim sunt, candidiora, amantiora, atque, ut ita dicam, humaniora. Singulare profecto gallici veteris sermonis monumentum opus illud est, et dignissimum quod nostris temporibus rursus edatur.

Annis septem antequam opus, de quo locutus sum, editum est, Parisiis impressum erat opus specie non idem, quod inscribitur *Le chevalier de la tour et le guidon des guerres* (1). Illud præfatione assignatum fuerat Godofredo de Turri Landerica (Geoffroy de la Tour Landry) qui quarto decimo sæculo vivebat; illa præfationis auctoritate confisi, quidam (2) nostris temporibus opus totum anno circiter 1371 compositum fuisse dixerant. Aliqui autem exstiterant (3) qui ea animadvertissent : opus illud tribus operibus reipsa, aliis alia tractantibus, constare; tria ea opera nusquam eodem codice conjuncta reperiri ; tertium illud opus quod proprie vocatur *Le guidon des guerres* iis libris non inhærere quibus, quinto jam decimo sæculo, opus quod proprie vocatur *Le chevalier de la tour* in anglicam germanicamque linguam translatum fuerat atque impressum. Inde conclusum erat alia aliorum auctorum esse opera.

Non autem ea satis sunt. Namque ego assero illa volumina quorum unum *Le rosier des guerres*, alterum *Le guidon des guerres* inscribitur unum idemque esse. Quod volumina ea singula versanti luce clarius apparebit. Eædem sunt sententiæ, idem ordo, idem capitum index, eadem verba. Hæc tantum differunt : in editione quæ inscribitur *Le guidon des guerres* tres ultimæ sexti capitis particulæ desunt necnon et caput septimum ; brevior est præfatio et Godofredum de Turri alloquentem inducit sibique tribuentem opus.

(1) *Le chevalier de la tour et le guidon des guerres*. Paris, 1514, Guillaume Eustace, fol.

(2) Brunet, *Manuel du libraire;* Barbier, *Dict. des anonymes.*

(3) *Le livre du Chevalier de la Tour Landry, publié par M. Anatole de Montaiglon.* Paris, 1854. — Cf. Paulin Paris, *Les manuscrits françois de la bib. du Roi,* V, 86.

Eodem ferme tempore, plura de re militari gallice scripta sunt, scilicet :

I. *Le Jouvencel.* Paris, 1493, A. Verard, fol. — *Le livre de Jouvencel, traictant de diverses matieres bellicques et munitions, tant pour assieger forteresse que duire gens au faict de guerre.* Paris, 1529, Philippe le Noir, 4. — Opus illud, verborum et sententiarum concinnitate singulare, inter a. 1461 et 1466 composuit Johannes de Bueil nobilissimus vir et fortissimus in bello. In speciem commenticiæ fabulæ plurima illa, de erudiendis in militia adolescentibus et imperatoribus, præcepit quæ præsertim usu intellexerat.

II. *L'instruction de chevalerie et exercice de guerre.* Paris, Estienne Jehannot, 4. — Libellum illum circa a. 1495 Jehannotus impressit atque fortasse, si præfationi creditur, scripsit.

III. *La nef des princes et des batailles de noblesse... par noble et puissant seigneur Robert de Balsat (seigneur dantregues et de sainct Amand), conseiller et chambrelan du roy nostre sire* (1). Lyon, 1502, Guillaume Balsarin, 4. Paris, 1525, Philippe le Noir, 4. — Illud opus, quamvis aliqua parte ex antiquis auctoribus ductum sit, si conferatur cum opere quod inscribitur *Le rosier des guerres,* multo inferius reponendum est. Neque enim eadem ingenii alacritate neque eadem verborum concinnitate eminet; imo milites alienigenas quam plurimos mercede conducendos esse censet (2). Quædam tamen notatione digna sunt; sic Balsatus ea præcipit ut quam paucissima impedimenta habeat cum exercitu imperator; ut bene caveat atque equitatum circummittat quotidie ad explorandum; ut ad aciem universam concionetur; ut nunquam in oppido exercitum suum includi sinat; ut promissa fidemque juratam servet.

IV. *Les ruses et cautelles de guerre.* (Paris), (1514), Jehan Petit, 8. — Excerpta sunt pleraque e strategematibus Frontini quæ jam gallice verterat Emericus Roseus (Emery de Saincte Rose); quo usum se professus Remigius Rufus (Remy Rousseau) recentiorum temporum exempla adjecit præliumque etiam ad Taruennam a. 1513 commissum commemoravit.

(1) « Cy finist l'ordre et train que ung prince ou chief de guerre doibt tenir tant » pour conquester ung pays et passer ou traverser celuy des ennemys; aussi pour » assieger une place que pour soy deffendre et garder aux siens quant on l'assault » ou se doubte d'estre assailly. »

(2) « Que ledict prince entretiengne le plus qu'il pourra de ses voisins pour sen » ayder a son affaire. »

§ III

De sexto decimo sæculo. Instructions sur le faict de la guerre.

Illa ætate præsertim qua Franciscus primus regnabat vetus rei militaris disciplina in Gallia revixit. Testes mihi adhibere liceat libros impressos plurimos quorum sequitur index ab ineunte Francisci regno ad annum 1550 :

1521. *Le rosier des guerres.* Paris, chez la veuve de Michel le Noir, 4.

1522. *Le Rozier historial de France contenant deux Roziers. Le premier rozier (le Rozier des guerres) contient plusieurs belles Rozes et boutons,* etc. Paris, chez François Regnault, fol.

1523. *Vegetius, Frontinus, Ælianus latine, Modestus.* (Lugduni), 8.

1525. *La nef des batailles... par Robert de Barsat.* Paris, Philippe le Noir, 4.

1527. *L'arbre des batailles et fleurs de Chevalerie selon Vegece.* Paris, Philippe le Noir, 8.

1528. *Rozier ou Epithome historial de France,* etc. Paris, chez François Regnault, fol.

1529. *Le livre de Jouvencel.* Paris, Philippe le Noir, 4.

1529; 1531. *Vallo, livre contenant les appartenances aux Capitaines, pour retenir et fortifier une citée,* etc. Lyon, 4.

1530. *Vegece... Frontin... Ælien... trad. par le polygraphe, humble secretaire et historien du parc d'honneur* (Nic. Volcyre de Serouville). Paris, Chr. Wechel, fol.

1532. *Æliani libellus de antiqua ratione instruendar... acierum* (græce). Parisiis, Mich. Vascosanus, 8.

1532-1533; 1534-1535. *Roberti Valturii de re militari lib. XII.* Parisiis, Chr. Wechelus, fol.

1534; 1535. *Vegetius, Frontinus, Ælianus latine, Modestus.* Parisiis, Chr. Wechelus, fol.

1535. *Alberti Dureri De urbibus, arcibus, castellisque condendis ac muniendis rationes aliquot, præsenti bellorum necessitati accommodatissimæ : nunc recens e lingua germanica in latinam traductæ.* Parisiis, Chr. Wechelus, fol.

1536. *Vegece... Frontin... Ælian... Modeste... traduicts fidellement... par le polygraphe,* etc. Paris, Chr. Wechel, fol.

1536. *Familiaire institution pour les Legionnaires.* Lyon, François Juste, 12.

1539. *Polybii De militia Romanorum et castrorum metatione* (græce et latine). Parisiis, J. Tiletanus, 4.

1539. *Claudii Coteræi Turonensis Jurisconsulti clarissimi De Jure, et Privilegiis Militum Libri tres. Ad hæc. De officio Imperatoris Liber.* Lugduni, Steph. Doletus, fol.

1543. *Andreæ Alciati De singulari certamine liber.* Lugduni, Ant. Vincentius, 8.

1545. *Deux restes du sixiesme livre de Polybe, avec un extrait touchant l'assiete du camp des Romains... trad. en françois par Loys Meygret.* Paris, Marnef, 8.

1546. *L'Art de la guerre, composé par Nicolas Machiavelli... L'Estat aussi et charge d'un lieutenant général d'armée, par Onosander, ancien philosophe platonique... Le tout traduict en vulgaire françois par Jehan Charrier, natif d'Apt en Provence.* Paris, Jehan Barbé, fol.

1548; 1549. *Instructions sur le faict de la guerre.* Paris, Michel Vascosan, fol.

1549. *Le devoir d'un capitaine et chef de guerre. Aussi du combat en champ cloz ou duel, le tout faict latin par Claude Cotereau et mis en langue françoyse par Gabriel du Preau.* Poictiers, 4.

1550. *Alciat. Le livre du Duel et combat singulier... traduict de latin en françois par I. D. L. F.* Paris, 8.

Inter eos qui libros rei militaris excudebant eminet Christianus Wechelus qui rem militarem suæ officinæ quasi assumens, Vegetium, Frontinum, Ælianum, Modestum latine atque gallice, Robertum Valturium, Albertum Durerum magnificis voluminibus, nitidissimis et venustissimis litteris excussit, figurisque ligno incisis volumen quodque exornavit. Illud tamen animadvertendum est : figuræ, quæ scriptoribus antiquis accedunt, non antiquas modo, sed etiam recentiores machinas exprimunt, tormenta scilicet ænea, vestes quibus penetrare in undas atque sub aqua operari liceat, imo insolita omnino fictaque etiam et commenticia. Adde quod in principio operis Dureri *De urbibus muniendis* Wechelus, ne tædium, ut inquit, afferat, adjicit ea quibus Ovidius Solis regiam, in fine ea quibus Curtius Babylonem descripsit.

Non solum plurimis rei militaris libris impressis, sed præsertim propagatis de re militari sententiis illa ætas eminet.

Latinum de re militari opus composuerat Franciscus Rabelæsus, testante quidem Verderio in sua *Bibliotheca : « Stratagèmes, c'est-à-» dire Prouesses, et ruses de guerre du preux et très célèbre Chevalier » Langey, au commencement de la tierce guerre Cesariane ; traduit » du latin de Fr. Rabelais, par Claude Massuau.* Lyon, Sebas-» tien Gryphius, 1542, 8. » — Illud autem opus, sive latine sive gallice conscriptum, nemo hodie in manu habet.

At certe illa clarissima fabula, cui famam suam debet, Rabelæsus rem militarem tractavit, disciplinamque ab auctoribus antiquis et

potissimum, ut opinor, ab Onosandro sumpsit. Ea, quæ veteres et præsertim Onosander in præcepta redegerant, fabula sua ornavit, amplificavit atque, ut ita dicam, in scenam protulit; ita ut quantum instituta antiqua contempsisse noceat, quantum autem prosit eadem illa observavisse, exemplis a se excogitatis ostendere velle videatur.

Una enim parte Picrocholus temere atque inconsulte bellum de improviso movet, nullaque interposita mora (1) exercitum in expeditionem educit. Sed ante bellum neque cibaria (2) parare neque exercitatione et disciplina suos informare novit, ut milites ejus repentino timore sæpius disturbari vanamque diaboli speciem (3) horrere soleant. — Altera autem parte, tanquam optimus Onosandri discipulus, princeps ille *(Grandgousier)*, cujus agrum Picrocholus invadit, injuriam non infert, sed illatam propulsat (4), neque, nisi ob justam causam, bellum suscipiendum esse censet; suos in consilium adhibet (5); jurgia per legatum (6) componere conatur. Sed pace bellum paravit (7); bene instructas, bene exercitatas copias in promptu habet, neque bellandi initium facit nisi rebus omnibus munitus (8). Unam tamen, utpote semper ipse justus et fidus, ex iis sententiis omisit quas protulit Onosander, pacis etiam tempore scilicet custodias minime esse negligendas (9); unde fit ut ejus arcem principio hostis sine ullo labore capiat (10). At postea, hoste devicto, præceptum antiquum, experimento approbatum, jam non negligitur : « *Et y feit bastir ung fort chasteau; y commettant gens* » *et guet, pour a l'advenir mieulx soy deffendre contre les soubdaines* » *esmeutes* (11).»

(1) *Gargantua*, 26 : « Feist crier... que ung chascun... convint en armes... a heure » de midy. — Cependent qu'on apprestoit son disner, alla faire affuster son artille- » rie. — En disnant bailla les commissions. »

(2) *Garg.* 32 : « D'une chose, dist Toucquedillon, vous veulx je advertir. Nous « sommes icy assez mal avitaillez et pourveuz maigrement des harnoys de gueulle. »

(3) *Garg.* 35.

(4) *Garg.*: « Ma deliberation ne est de provocquer, ains d'appaiser; d'assaillir, mais » de deffendre. » Cf. *Onos.* 4. Onosandri editionem a Nic. Rigaltio Parisiis a. 1599 datam secutus sum.

(5) *Garg.* 28. — Cf. *Onos.* 3.

(6) *Garg.* 30, 31. — Cf. *Onos.* 4.

(7) Cf. *Veget.* III, præf. « Qui desiderat pacem præparet bellum. » — *Onos.* 10.

(8) Cf. *Onos.* 4.

(9) *Onos.* 37.

(10) *Garg.* 28. : « Assaillit la Roche Clermauld, auquel lieu ne luy feut faicte resis- » tance quelconque. »

(11) *Garg.* 51.

Imprudens est Picrocholus, rabiosus, credulus et gloriosus. — At contra Gargantua, qui Picrocholo adversatur, in se virtutes omnes illas contrahit quæ, secundum antiquos, imperatorem decent. Optima disciplina a teneris institutus est; non solum enim omni liberali doctrina est politissimus, sed equitandi, saliendi, currendi, natandi assidua exercitatione, omnium armorum tractatione corpus suum ad militiam optime obduravit atque informavit (1). Dicendi illius artis, quam veteres in imperatore quærendam esse censebant, peritus est neque suos ante pugnam cohortari omittit (2). Prudens est simul atque intrepidus, æquus, facilis, minime avarus (3); serenum semper, imo lætum atque hilarem animum ostendit (4). Victoria parta, amabilem benevolentiam exhibet (5) interfectosque in prælio sepeliendos curat (6).

Bellum, quod stulte denuntiavit, stulte Picrocholus administrat. Incompositum ejus agmen incedit (7); milites ad diripiendum fusi palantesque repentinis hostium incursionibus se offerunt, ut millia multa eorum Joannes monachus unus unoque baculo sternat (8). Gargantua autem optime instructos atque ordinatos milites educit (9). Non solum mittit eos qui loca explorent, sed qui sint locorum periti (10). Dat operam ne lassatos suos atque jejunos ad

(1) *Garg.* 23. « Car telles choses servent a discipline militaire. » — Cf. *Veget.* I, 9-19; *Onos.* 10.

(2) *Garg.* 48 « Et leur donnant couraige par bonnes parolles. » Cf. 50 : « La concion » que fit Gargantua es vaincus. » — Cf. *Onos.* 1.

(3) Cf. *Onos*, 1, 2.

(4) *Garg.* 39-41. — Cf. *Onos.* 13.

(5) *Onos.* in fine.

(6) *Garg.* 51. — Cf. *Onos.* 36.

(7) *Garg.* 26 : « Adoncques sans ordre et mesure prindrent les champs les ungs » parmy les aultres, guastans et dissipans tout par ou ilz passoyent. » *Ib.* 36 : « Ilz » n'estoyent que maraulx, pilleurs et briguands, ignorans de toute discipline militaire. »

(8) *Garg.* 27 : « De son baston de la croix donna brusquement sus les enemys qui, » sans ordre ne enseigne, ne trompette ne taborin, parmy le cloz vendangeoyent. » — Cf. *Onos.* 10.

(9) *Garg.* 47 : « Tous par bandes, tant bien assorties de leurs thesauriers, de » vivandiers, de mareschaux, d'armuriers et aultres gens necessaires au trac de » bataille, tant bien instruictz en art militaire, tant bien armez, tant bien » recongnoissans et suyvans leurs enseignes, tant soubdains a entendre et obeir a » leurs capitaines, tant expediez a courir, tant forts a chocquer, tant prudens a » l'aventure, que mieulx ressembloyent une harmonie d'orgues et concordance » d'horloge qu'une armee ou gendarmerie. » — Cf. *Onos.* 6; *Veget.* II, 11.

(10) *Garg.* 34 : « Il feut conclud que, pour le meilleur, il menast avecques soy » quelqu'ung qui congneust les voyes et destores et les rivieres de la entour. » — Cf. *Onos.* 10; *Veget.* III, 6.

certamen promoveat (1). Tempus in obsidione diutina inferenda non consumit; sed hostium arcem corona atque impetu, more Romanorum, aggreditur. Insidias tamen parandas curat, namque Joannes monachus, hostem a tergo circumveniens, qua non exspectabatur (2) in arcem desilit. Ipse autem quoque monachus ea providet quæ ad rem militarem, secundum antiquos, spectant: subsidiis (3) ad omnes casus relictis sibi cavet; silentes primo milites ejus incedunt atque postea, quum hostem invadunt, vociferantur (4). Parta denique victoria, Gargantua suos, præceptis Onosandri nunquam omissis, convivio (5) atque præmiis donat.

Præterea, eadem operis sui parte, Rabelæsus plurimas revocat ex eis sententiis quas veteres de re militari emiserunt: arces scilicet sive natura sive opera muniri (6); milites ad sustinendum hostilem impetum se conglobare debere (7); non esse longius hostes persequendos (8), ne ordines solvantur; viam abscedendi fugientibus dandam (9). Imo loco etiam illo quo nugari facetissimoque ingenio suo omnia permittere videtur, Gymnastem effingens per miras præstigias hostes decipientem (10), in scenam producit atque accommodat Vegetii (I, 9) sententiam illam: « Præterea in ipso conflictu

(1) *Garg.* 48: « Je suis d'advis qu'a l'heure presente, aprez que vos gens auront » quelque peu respiré et repeu, faciez donner l'assault. L'advis feut trouvé bon. » — Cf. *Onos.* 12; *Veget.* III, 11.

(2) *Garg.* 48: « Pensant que plus de craincte et de frayeur donnent ceulx qui » surviennent a ung conflict, que ceulx qui lors a leur force combattent. » — Cf. *Onos.* 22.

(3) *Garg.* 48: « Les deux cens hommes d'armes qu'il laissa hors pour les hazards. » — Cf. *Onos.* 22.

(4) *Garg.* 48: « Toutes foys ne feit oncques effroy jusques a ce que tous les siens » eussent guaigné la muraille.... Puis s'escria horriblement et les siens ensemble. » — Cf. *Veget.* III, 18; *Onos.* 29.

(5) *Garg.* 49: « Puys les feit refraischir chascun par sa bande, et comenda... que » ce repast leur feust defrayé et payé. » — *Garg.* 51: « Leur fit ung festin le plus » magnifique, le plus abundant et le plus delitieux que feut veu depuis le temps du » roy Assuere. » — Cf. *Onos.* 33, 34, 35.

(6) *Garg.* 28: « Le lieu estoit fort et par art et par nature. » — Cf. *Veget.* IV, 1.

(7) *Garg.* 43: « Serrons nous icy et tenons le chemin en bon ranc; par ce moyen » nous les pourrons recepvoir a leur perte. » — Cf. *Veget.* III, 15: « Magis enim » expedit ut conferti pugnent quam longius separati. »

(8) *Garg.* 48: « Aulcuns vouloyent leur donner la chasse, mais le moyne les retint, » craignant que, suyvans les fuyans, perdissent leurs rancs. » — Cf. *Onos.* 27; *Veget.* II, 17.

(9) *Garg.* 43: « Selon vraye discipline militaire jamais ne fault mettre son enemy » en lieu de desespoir. » etc. — Cf. *Veget.* III, 21; *Front.* II, 6.

(10) *Garg.* 35: « Comment Gymnaste soupplement tua le capitaine Tripet. »

» ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuque veniens » adversarii perstringit oculos mentemque deterret, priusque plagam » infligit quam ille ad cavendum vel ad resistendum certe se » præparet. » Adde quod, more antiquo, et contra usum sui temporis, pedites multo plures quam equites adhibendos esse censet; illud enim ex enumerandis Gargantuæ copiis (1) intelligi potest.

Plurima igitur antiqua rei militaris præcepta, sicut Machiavellus (2), Rabelæsus assumit; imo quadam ex parte Machiavellum ipsum superat neque semper inservit antiquis. Recentiores illas machinas, quibus globi glandesve ejiciuntur in exercitum Gargantuæ necnon et Picrocholi plurimas admittit; ad usum illarum Gargantuam adolescentem exercet (3); illas multum valentes effingit (4), monachumque ipsum Joannem fortissimum illum ea loquentem inducit: «Je ne crains rien fors l'artillerie (5).» Machiavellum præcipue veteresque simul Rabelæsus superat quum bellum non gerendum esse, nisi justa de causa atque prius ratione pacis tentata, affirmat. Quod quidem ab Onosandro et Platonica doctrina repetitum est. Idem autem illud Rabelæsus, non solum quam qui maxime vividior effatur, sed latius altiusque dilatat; non solum bellum nisi legitimum non movendum esse censet, bellum autem ipsum, quidquid id est, omni in pactionem veniendi adhibita ratione, vitandum, et si omnino vitari non possit benigne atque clementer esse gerendum; moresque antiquorum qui bello fines dilatabant prorsus abjicit (6). Bellicas quidem insidias, sicut Machiavellus et antiqui,

(1) *Garg.* 47: « Deux mille cinq cens hommes d'armes, soixante et six mille » hommes de pied, vingt et six mille harquebousiers, deux cens grosses pieces d'ar- » tillerie, vingt et deux mille pionniers et six mille chevaulx legiers. »

(2) Cf. Emile Gebhart, *Rabelais*, p. 198 seq.

(3) *Garg.* 23: « Visoyt de l'arquebouse a l'œil, affeustoyt le canon. »

(4) *Garg.* 48. — Eodem tamen illo capite Rabelæsus ostendit quam male, suo ipsius tempore, globi ex edito loco demissi dirigerentur: « Les traictz passoyent » oultre par dessus sans nul ferir. » Ipse autem cavet ne, nimis progredientibus militibus, tormenta irrita fiant, quod Machiavelli tempore atque etiam pugna ad Papiam commissa acciderat: « Feut receu et festoyé a grandz coups de canon qui » gresloyent devers les cousteaux, dont les gargantuistes se retirarent au val pour mieulx donner lieu à l'artillerie. »

(5) *Garg.* 42.

(6) *Garg.* 28: « Je n'entreprendray guerre que je n'aye essayé tous les arts et » moyens de paix. » — *Garg.* 46: « Le temps n'est plus d'ainsi conquester les royaul- » mes... ceste imitation des anciens Hercules, Alexandres, Hannibals, Scipions, » Cesars et aultres telz est contraire a la profession de l'Evangile. »

amore præcipuo colit, sed ut cædi parcat (1). Devictos non modo non opprimit, sed benevolentia atque beneficiis ornat. Quid plura? Machiavello ostendit utilitatem (2) a justitia et mansuetudine non esse segregandam.

Machiavellum certo, quod ad militarem disciplinam, Rabelæsumque fortasse, quod ad jus bellicum spectat, in se contraxit opus cui titulus est *Instructions sur le faict de la guerre*. Magnam famam adeptum est illud opus; quater enim in Gallia, haud ita magno interposito temporis intervallo, editum est (3); idem illud «omnes ferme populi sua lingua reddiderunt (4).»

Incerti auctoris opus est. Gulielmo Bellaio Langæo vulgo tributum est, atque profecto, inter diversas Langæi mortui chartas inventum est. Langæum auctorem ille, qui primus edidit opus, in præfatione indicat; Langæum quoque indicant Brantomus *(Vie de M. de Langeay)* et Verderius *(Bibliothèque)*. Exstiterunt autem postea qui Ramundo cuidam de Papia opus assignaverint. Omnia ea optime exposuit et judicii sui acumine exploravit Baylius *(Dict. v° du Bellai)*. Unde mihi videtur Langæo quidem uni opus non esse tribuendum, sed Langæo magistro atque fortasse adjutori, antequam editum est, fuisse delatum. Auctor, quisquis ille est, a me, ut verba longiora effugiam, *Noster* appellabitur.

Machiavello certe plurima debere (5) Nostrum liquet, utpote qui non solum pleraque ea, quæ Machiavellus sensit, exscribat, sed etiam rerum seriem et distributionem; Machiavelli verbum verbo sæpe reddat; a Machiavello nonnunquam paginam totam sumat. Machiavellum eodem cultu, quo Machiavellus antiquos, prosequitur;

(1) *Garg.* 29 : « L'exploict sera faict a moindre effusion de sang que sera possible. » Et si possible est, par engins plus expediens, cauteles et ruses de guerre, nous saul- » verons toutes les ames et les envoyerons joyeulx a leurs domiciles. »

(2) *Garg.* 50. V. ea quæ Gargantua de Alpharbale devicto dicit.

(3) *Instructions sur le faict de la guerre.* Paris, 1548, Michel Vascosan, fol. — *Instruction pour le faict de la guerre, extraicte des livres de Polibe, Frontin, Vegece, Cornazan, Machiavelle et plusieurs bons autheurs.* Paris, 1549, 1553. Mich. Vascosan, fol. — *Discipline militaire de Guillaume du Bellay.* Lyon, 1592, Ben. Rigaud, 8.

(4) Gab. Naudæi *Syntagma de studio militari.* — Idem illud opus Diegus Gracian in hispanicam linguam *(Disciplina militar*, Barcinonæ, 1566, 4.), Mambrinus Roseus in italicam *(Della disciplina militare*, Venetiis, 1571, 8.) transtulit.

(5) Suum Machiavello profecto non reddidit Brantomus, ea locutus *(loc. cit.)*: « Le livre qu'a faict M. de Langeay de l'art militaire le faict cognoistre autrement » capitaine que ne faict Machiavel, celuy qui en a escrit; qui est un grand abus de » cest homme, qui ne sçavoit que c'estoit de guerre... »

Machiavellum explanat, explicat; in Machiavellum commentaria componit exemplaque sive antiqua sive recentiora sive etiam præsentia Machiavello addit. Ex eo fit ut, quum Machiavello jam dederimus operam, Nostri quoque librum magna ex parte descripserimus. Sicut Machiavellus, veneratione sua Noster amplectitur antiquos et potissimum Romanos; censet robur militum e civibus constare debere, militem deligendum esse inter invitos, festis diebus exercendum, armis, quibus optime tegatur, atque etiam scuto muniendum. Sicut Machiavellus, e peditibus ante omnia exercitum verum constare dicit; legionem suam romanæ legionis instar informat atque exercet; romana castra imitatur; triplicem instrui aciem, densos servari ordines jubet; machinas metallicas, quibus globi cum igne jactantur, parvi facit. Sicut Machiavellus, perspicienda esse per exploratores præmissumque equitatum loca hostilia, conciones apud milites habendas (1), colonias militum in agrum captivum deducendas esse censet. Sicut Machiavellus, magni referre existimat religiosos esse milites, Florentinumque scriptorem usque ad subtiliora secutus ab eo causam mutuatur cur Joanna Darcia exorta sit (2). Sicut Machiavellus, insidias et dolos non parvi facit, atque etiam de se quædam adjicit quæ ridicula esse videantur.

Singulare tamen opus confecit Noster. Etiamsi Machiavellum sequitur, de se plurima addit nosque certiores facit sive de rebus quibusdam illo tempore gestis sive de re militari suorum. Sic indicat quantum et quibus causis, immodico scilicet usu conductorum ex alienis gentibus militum prolapsaque disciplina, res militaris in

(1) « Les bons Capitaines devroient estre bons orateurs : pour ce que sans sçavoir » harenguer a tout un exercite, il est difficile faire chose qui soit gueres bonne : » mais aujourd'huy on n'en faict point de cas..... Si le Roy avoit deliberé d'entretenir ses premiers Legionnaires, ou d'en lever d'autres... il devroit commander que » les Collonnelz s'accoustumassent a haranguer leurs gens en general, et les soul- » dardz a les oyr parler, aux fins d'y accoustumer les uns et les autres; a ce qu'ilz » ne trouvassent estrange quelque jour s'il les failloit convenir ensemble, estant » appellez a la concion par le Trompette du Lieutenant general, pour escouter ce » que ledict Lieutenant leur vouldra dire. » *Instructions sur le faict de la guerre*, p. 55. — Cf. *Le rosier des guerres :* « Si comme l'or surmonte toute maniere de » metal, aussi est la science de bien parler plus noble que nul art du monde. » — Cf. *La nef des batailles*.

(2) « Fut Jehanne la pucelle en France reputee une personne divine, et chacun » affermoit quelle avoit esté envoyee de par Dieu : mais a ce que lon veult dire, ce » avoit esté le Roy qui s'estoit advisé de ceste ruse, pour donner quelque bonne » esperance aux François, leur faisant entendre la sollicitude que nostre Seigneur » avoit de son royaume, » etc. *Ib.* P. 56.

Gallia peccaret; ostendit quare equitatus nobilium (gallice *l'arrière-ban*) pessime cecidisset. Sententiarum suarum pulchritudine et robore interdum Machiavello magistro se adæquat; sic militum ex alienis gentibus conductorum usum, sicut Machiavellus, criminatus, ipse de se hæc adjicit: « Les estrangers ne pourroient jamais servir » si loyaument un Prince, que ses propres subjectz ne le servent » encores plus fidellement qu'eulx et de meilleur cueur: a cause de » ce que la querelle du Prince qui les a en charge n'est pas seule- » ment le faict d'un subject particulier ne d'un tiers: ains elle » touche a tous ceulx qui l'endurent pour leur Sire. » (P. 4.)

Quædam, quæ Machiavellus tantum præstrinxit, intentione singulari Noster tractat et quasi sua facit. Multo vehementius quam Machiavellus milites non deligi nisi honestos omnique suspicione carentes oportere, imo necesse esse, significat; militem non vult solum, sicut Machiavellus, aliquid possidere unde vivere possit privatus, sed etiam, si nihil exerceat unde privatus accipiat mercedem, cogit ut in artificio aliquo versetur (1).

Quibusdam in partibus etiam a Machiavello Noster dissidet. Exercitui quem excogitat pace etiam stipendium (quod Machiavellus tunc omnino negabat) persolvit, majus bello faciendum. Militiam suam ratione ea componit quam ipse totam invenit: Præter justas atque omni tempore permanentes copias, militiam subsidiariorum excogitat qui, usque ad centum millia peditum, per singulas Galliæ provincias singulosve provinciarum quarumdam globos vicibus alternis conscribantur; ita ut subsidiariorum millia viginti et quinque parata festisque diebus exercitata semper et in pace habeantur, illi autem, qui usque ad centum millia hominum supersint, parati jam atque exercitati in supplementum, si opus sit, bello succurrere possint.

Prima denique et ultima parte operis ea tractat Noster de quibus Machiavellus omnino tacet. Prima parte enim de jure gentium, ultima de jure militum agit. In principio operis inquirit utrum bellum fieri liceat necne; idem jam fere omnes illi, qui in Gallia de re militari scripserant, consideraverant (2). Bellum fieri licere negat Noster, sicut jam Rabelæsus, nisi justis de causis atque tentata prius

(1) « Et s'ilz n'avoient point d'art, ilz devraient estre contrainctz d'en aprendre... » Je parle de ceulx qui ne sont nobles, a celle fin qu'ilz eussent de quoy se pouvoir » nourrir en temps de paix, sans le mestier de la guerre. » P. 10.

(2) Vincentii Bellovacensis *Speculum doctrinale*, lib. VII. — Ægidii Columnæ *De*

qualibet in pactionem veniendi ratione; imo arbitros adhiberi vult per quos jurgia inter gentes componantur (1). Sicut Rabelæsus, bellum, si fieri omnino oporteat, quam brevissimo tempore, quam minimo cum sanguine, quam minima cum injuria, gerendum esse censet; bellum etiam contra eos, qui a christiana fide abhorrent, atrocius gestum vituperat (2). — Ultima parte operis Noster rationes eas dispicit quibus milites in officio contineri possint. Disciplinam severitate sola servari posse affirmat; itaque quinquaginta et septem casus describit quibus militi capitale sit, suppliciaque adjungit plus quam, ut ita dicam, mortalia. Sed, quantum severitatem colit tantum abhorret a libidine ac licentia pro legibus ab imperatore usurpata. Illud præcipue annotandum est quod, in statuendo de reis, judices, sortitione facta, instituit de diversis militiæ ordinibus sumptos; qui decernant primo utrum reus absolutus sit crimine necne, secundo quænam pœna adhibenda sit, ita ut occultis suffragiis sententiam suam quisque per tabellam ferat, initiumque decernendi ab infimo quoque ordine fiat.

Illo opere præcipue, sed non illo tantum, manifestum fuit quantum Machiavelli simul et veterum scriptorum sententiæ in Gallia valerent. Quapropter paululum mihi excedere liceat e finibus anni 1550 inter quos propositum meum huc usque continere assuevi. — Anno 1559 Lugduni edebatur opus quod inscribitur *Institution de la discipline militaire au royaume de France* (3). Auctoris nomen incertum est. Multum quidem versatum fuisse illum in operibus Machiavelli patet; ille autem neque veteribus neque Machiavello in servitutem se dicat atque præcipue eo conspicuus est quod non Romanorum solum, sed etiam Græcorum instituta magni facit.

regimine principum. — « Se cest bonne chose de soy mettre en champ et prendre » bataille pour son droit esprouver. Et vous prouveray que non. » *L'arbre des batailles.* Cf. *Lart de chevalerie selon Vegece.* — « En guerre ne en plet ne y a » jamais un denier de proffit. » *Le rosier des guerres.* — *La nef des batailles.* — Jam gallice dixerat Brunettus Latinus : « Li sires... si doit garder que il ne com- » mence guerre.., se il onques peut, car en guerre a trop de perilz... mais, se la » guerre estoit commenciee au tens de ses ancestres, je loe que il prochace la pais » ou au moins trives. » *Li livres dou tresor.*

(1) « Et supposé encores qu'il (le Prince) eust quelque couleur de guerroyer, si » est ce qu'il doit mieulx vouloir avant toute œuvre, et tousjours avec recourir aux » arbitres, qu'estre occasion des maulx que la guerre trayne apres soy. » P. 3.

(2) « Car ce n'est pas a coups d'espée que les infideles se convertissent, et qu'ilz » se chrestiennent : ains l'exemple et le parler y pevent plus que la force. » P. 2.

(3) Lyon, 1559, Macé Bonhome, 4.

Multa profecto in eo reperire est quæ jam in Machiavello necnon et in opere quod inscribitur *Instructions sur le faict de la guerre*. Pleraque enim in eo invenias quæ jam ad corrigendos rei militaris recentiores usus proposita fuerant. Ille scilicet a quo compositum est opus quod inscribitur *Institution de la discipline militaire* rationes eas vituperat quibus exercitus e voluntariis tantum colliguntur, quibus milites e gentibus externis mercede conducuntur; deligendum esse robur civile militum censet, bonis moribus insignium, domicilio certo atque etiam re familiari aliqua fruentium; e peditibus præcipue exercitum constare debere. Arma, quibus tegantur milites, atque etiam clypeos addit; milites in legiones decenos, centenos, millenos distribuit; aciem densissimam instruit; eludi posse tormenta nova affirmat quibus globi ferrei emittuntur. Assidua exercitatione ad bellum parari, severa disciplina contineri, impedimentis liberos in agmine incedere, concionibus in acie incitari, præmiis iisdem, quibus apud Romanos, donari milites, colonias militum in agrum captivum deduci jubet.

Multo vehementius quam qui antea de re militari dixerant milites ostendit conscribendos esse etiam invitos; quare muneribus reipublicæ neminem fungi sinit nisi jam quinque annos militaverit (1). Accuratius apertiusque explicat qua ratione militum delectus sit habendus : scilicet ut provinciæ cuique certus militum numerus deligendus assignetur, atque inter urbes et vicos, legatorum opera qui rem eam unice curent, distribuatur; ut tandem in urbibus et vicis natu majores designent eos qui militare debeant.

Singulari in Græcos studio eminet auctor de quo nunc agitur, illoque studio distat et a Machiavello et ab omnibus illis qui jam de re militari scripserant. Militarem ætatem, Romanorum more derelicto, usque ad vigesimum et quintum annum, Aristotele auctore, profert, quo robustiores inveniantur juvenes. Græcorum more, Prytanæum instituit in quo publice alantur membris capti milites filiique eorum qui in acie perierint. Quod præsertim ad aciem instruendam attinet, ab auctoribus recentioribus, de quibus supra

(1) « Si la loy Romaine estoit renouvelée.., il n'y auroit aucun qui ne s'addonnast » tres volontiers aux armes. Car icelles rejettoient de tous honneurs civilz et mili- » taires ceux qui n'avoient servi en guerre quelque espace d'années. » P. 28. — « Et » ne seroit chose non plus à mespriser, que à l'imitation de la loy ancienne Romaine, » tous honneurs des gouvernemens des villes fussent deffenduz à ceux qui ne » serviroient le Roy en guerre, et limiter cinq ans de bon et honorable service à » ceux qui y aspireroient, » etc. P. 155.

dictum est, dissidet. Romanorum veterum aciem aperte reprehendit utpote quæ nimis multis intervallis dehiscat; reprehendit quoque aciem illam quam Machiavellus, legionis phalangisque informatione mixta, excogitavit, utpote quæ firmitate careat; rationem eam qua Macedonum phalanx in acie confertissimis ordinibus instruebatur anteponit; imo Macedonum veterum phalangi Helvetiorum recentiorum phalangem præfert quæ, quum fere quadrata instruatur, majorem etiam stabilitatem habeat. Helvetiorum phalangem perfectam quasi et absolutam fore censet si, postquam jam a Græcis hastam prælongam ordinesque densissimos sumpserit, cetera quoque eorum arma fuerit imitata (1).

Testatur idem ille quam suspectum principes, regni servandi causa, robur militum civile haberent; quantum apud plebem armorum usus obsolevisset; quantum inde in gente tota Gallorum bellica studia consenuissent, quum præterea illa bona, quorum a possessoribus militare officium (gallice *l'arrière-ban*) in principio debebatur, a nobilibus viris ad plebeios magna ex parte paulatim transmissa essent.

Durante sexto decimo sæculo toto, sententiæ illæ in Gallia valuerunt quæ potissimum e civibus exercitus constare debere (2) remque militarem antiquæ disciplinæ auxilio restituendam esse prædicabant (3). Unum et in primis commemorabo Lanovium. Censet Lanovius (4) nobiles viros, qui, rei familiaris officio obstricti, militiam debent, non solum novis legibus severaque disciplina esse

(1) « Je croy estre apparent comme le jour que le bataillon de maintenant est la » plus seure instruction qui ait esté, et seroit parfaict si comme nous avons » emprunté la pique et densité des ordres de la phalange Macédonique, semblable- » ment nous reprenions ses autres armes. » P. 69.

(2) « Le roy François dressa les legionnaires; qui fut une tres belle invention..., » car c'est le vray moyen d'avoir toujours une bonne armée sur pied comme » faisoient les Romains, et de tenir son peuple aguerry..... *Si aymerois-je mieux me* » *fier aux miens qu'aux estrangers.* » Montluc, *Commentaires*, ed. Michaud, p. 22. — « Les legionnaires estoient bien inventez par le roy François, *subjectz qui eussent* » *combattu pour leurs souverains, patrie et enfans*, mieux que les Suisses qui » viennent tard, combattent par fantaisie, et abandonnent au besoin. » Tavannes, *Mém.* p. 82. — Cf. La Nouë, *Onzième discours*.

(3) *Discours sur la castramétation et discipline militaire des anciens Romains, par Guillaume du Choul.* Lyon, 1555, fol. — *P. Rami liber de Cæsaris militia.* Parisiis, 1559, 8. — *La Nouvelle Milice.* Paris, 1590, 8. — *La milice françoise, réduite à l'ancien ordre et discipline militaire des Légions par Messire Louys de Montgommery.* Rouen, 1602; Paris, 1610, 8.

(4) *Discours politiques et militaires du seigneur de la Nouë.* Bâle, 1587, 8.

continendos, sed etiam a pueris exercendos esse ad arma. Antiquorum exemplis subnixus, profitetur valde pertinere ad rem publicam pueros artibus bonis esse excultos, atque idcirco rem publicam ipsam in institutione puerorum intentam esse debere. Itaque censet scholas publice esse creandas, quas *Academias* vocat, in quibus pueri nobiles a quinto decimo ætatis anno admittantur; exercitia describit quibus sive corpora illorum sive ingenia informentur. — Rationem quoque Lanovius proponebat qua recrearetur peditatus, scilicet ut, more antiquo, legiones instituerentur, ita ut, dum quatuor militum catervæ, quæ gallice dicuntur *régiments,* sub signis permanerent, legiones e civibus unice conflatæ in subsidio paratæ essent atque octo decemve dies quotannis convenirent.

LIBER TERTIUS

QUEMADMODUM VETERUM RES MILITARIS USU IPSO APUD RECENTIORES TENTATA EST

CAPUT I

De specie imitationis.

Quæ, renascentibus litteris, de re militari veterum sunt commemorata, non sententiis tantum atque scriptis, sed etiam opere ipso et usu aliqua ex parte revocata sunt. Quod demonstrare aggrediar. Distinguenda tamen est primo imitationis species, quum tempora ipsa multo plus quam veterum exempla effecerunt ad renovandos usus qui veterum esse videntur; secundo imitatio vera, quum veterum auctoritas maxime valuit.

Quamvis a recentioribus plurima in re militari usurpata sint quæ jam ab antiquis, non continuo omnia ea antiquorum imitationem unam significant. Rerum enim concursu et necessitate apud recentiores eadem rursus excogitata sunt quibus jam antiqui uti sueverant. Quare longius absit ut et robur illud sagittariorum civile quod gallice dicitur *francs-archers*, et positam magis ac magis in peditatu existimationem, et levi equitum armaturæ additum numerum, et aciem in modum phalangis informatam, et arma, quibus corpus tegitur, plura firmioraque facta, e nulla alia re procedere contendam nisi ex imitatione antiquorum.

De peditatu sagittariorum. — Robur illud sagittariorum civile, quod Carolus septimus rex instituit atque e plebeiis etiam invitis conscripsit, debetur necessitati augendarum rei publicæ virium deliberatoque consilio temperandi exercitus ita ut, etiam in pace, peditum copiæ paratæ semper in subsidio remanerent. Illud præsertim animadvertendum est quod sagittarii illi instituti sunt non solum antequam sententiæ de militibus inter cives unice deligendis

prædicatæ sunt, sed etiam antequam militum e gentibus externis mercede conductorum usus magis ac magis in Gallia invaluit. Imo quo magis militum externorum numerus in gallico exercitu crevit, eo minor factus est sagittariorum, de quibus nunc dicitur, numerus. Ludovicus enim undecimus, nisi sagittarios illos omnino abolevit, illis certe, finiente regno suo, jam non usus est atque in locum illorum Helvetios pedites introduxit. Carolus octavus et Ludovicus duodecimus, etsi sub illorum regno sagittariorum eorumdem nomen interdum apparet, non solum Helvetios sed etiam Germanos pedites potius adhibuerunt. Toto denique sexto decimo sæculo peditatus, qui gallicus nomine vocabatur, e militibus externis potissimum constitit.

De incremento peditum; de leviore armatura equitum. — Mutationi illi in melius ad quam ætates paulatim per se ipsæ progrediuntur tribuenda causa est cur in exercitibus et pedites pluris æstimari et equitum levis armatura numero crescere cœperint. Quum enim cataphracti equites, qui præcipue vim atque impetum in dimicando diu intulerant exceperantve, nunc mole ipsa suorum impediti peditibus paulatim cederent, apparuit et magis atque magis valuit levior armatura equitum qui non æstum prælii sustinere, sed procursare, insidiari, explorare, victis instare, iisdem denique officiis fungi quibus apud antiquos equitatus, solerent.

De phalange. — Contra vim cataphractorum equitum, qui sæculis compluribus valuerant, surrexerat tandem nova instruendorum peditum in modum phalangis ratio. Quæ ab Helvetiis initium cepit. Quum enim propter paupertatem illa gens equos prævalidos, equites omnibus armis instructos comparare non posset, genus dimicandi novum invenit. Tunc Helvetii pedites in angustiores ordines se constringere, alius alium premere et continere ne cataphractorum equitum mole dispersi obruerentur, hastas prælongas sumere quibus equorum impetus sustineretur. Ab Helvetiis ad Germanos atque inde ad alias gentes ille mos evasit; ut Macedonum veterum phalanx restituta esse videretur.

De armis gravioribus factis. — Excogitata jam fuerant illa tormenta quæ, pulveris sulfurei auxilio, globos ingentes jaculabantur. Quorum globorum ponderi sustinendo cataphractorum vires impares omnino brevi repertæ sunt. Tunc arma graviora gravioraque militibus imponi; ferreæ ocreæ, ferreæ manicæ, ferreorum munimentorum omne genus galeis atque loricis adjici; ferro quum

equitum, tum equorum corpus totum cooperiri; ut non solum repetita fuisset gravis illa armatura quibus se antiqui protegere solebant, sed etiam immani pondere armorum equites et equi quasi obruerentur.

CAPUT II

De imitatione vera.

Restat ut illa consideremus quæ ab imitatione antiquorum recta procedunt; in Italia scilicet militiam florentinam; in Gallia legiones.

Jam in priore parte quinti decimi sæculi Veneti, in posteriore Hercules dux Ferrariæ, simul et conservatis militibus mercede conductis, suos armare instituerant *(ordinanza delle cerne);* quod quum perperam persecuti essent, inane cœptum evaserat (1). Cæsar quoque Borgia, dum in Romania principatum exercuit, militem in singulas domos conscripsit. At præsertim respublica florentina, robur militum pro eo tempore novum constituere adorta, studio nostro digna est. Militia enim, quæ dicitur florentina *(ordinanza e milizia fiorentina)*, nihil aliud est nisi usu tentata sententia ea quam de conscribendis civibus Machiavellus proferebat (2).

Militiæ ejus initia ab anno 1499 videre est. Jam enim ab illo tempore, jubentibus reipublicæ Decemviris, ex agro florentino colligebantur *(i comandati)* qui, utpote rerum bellicarum insoliti, tantummodo ad agrum hostilem vastandum arcesve custodiendas primo adhiberentur. Illos et bello Pisano et bello Aretino haud semel reperias. Paulatim illa militia crevit bellicaque officia vere exercuit. Illi denique, die sexta decembris 1506, lex certa (3) constituta est, qua non modo ea, quæ jam usurpari solebant, in jus

(1) Mach. *Arte della guerra*, VII : « I Veneziani e il duca di Ferrara la [ordinanza] » cominciarono e non la seguirono; il che è stato per difetto loro, non de gli » uomini loro. »

(2) De militia florentina V. Canestrini, *Scritti inediti di Machiav.* passim, et præf. p. XXXIV-L. — Cf. Sismondi, *Républiques italiennes.*

(3) *Provvisione per le fanterie*, apud op. Machiavelli.

scriptum redacta sunt, sed etiam ea provisa sunt quæ in posterum fieri deberent : Omnes scilicet homines, in agro florentino, a quinto decimo ætatis anno in indicibus inscribebantur; de illo numero aptissimus quisque ad arma, et potissimum cælebs neque trigesimum annum egressus, deligebatur; qui quidem alterum hominem suum in locum substituere non poterat. Ratione ea peditum copiæ, usque ad decem millia hominum, præsto semper esse debebant. Qui conscripti fuerant, domi, nisi res posceret, remanebant; at semper arma servabant festisque diebus ad bellicos usus exercebantur; semel singulis mensibus centuria quæque peditum, bis anno centuriæ universæ unius provinciæ conveniebant. Viri novem *(I Nove d'ordinanza e milizia fiorentina)* creati sunt qui, a mense januario 1507, copias illas conscribendas, armandas, exercendas ducibusque instruendas curarent. Anno postea 1511, quum Italia bello gravissime laboraret, peditibus adjecta est equitum manus quingentorum qui eadem, qua pedites, ratione delecti atque compositi sunt (1). Copiæ illæ, sive pedestres, sive equestres, usque ad mensem septembrem anni 1512 steterunt quo Julianus Mediceus Florentiam in principatum suum redegit. Expulsis rursus Mediceis, militum rursus civile robur in agro florentino conscriptum est, ab anno scilicet 1527 ad annum 1530. Idem denique florentinæ libertati et florentinæ militiæ finis fuit.

Plurimum ad eam militiam constituendam valuisse Machiavellum liquet. Non solum enim ille haud semel legatorum eorum numero fuit qui, sive primo a Decemviris, sive a Novemviris designati, delectum habendum curarent (2), sed etiam suas ipsius de exercitu conscribendo et instituendo sententias magna parte imposuit. Leges eas, quæ de copiis peditum equitumve conscribendis, nomine Decemvirorum, latæ sunt, ipse manu sua Machiavellus scripsit, imo ingenio suo impressit. Quod quidem plurima testantur. Testatur enim legum præfatio (3) in qua ea, quæ Machiavellus toties prædicavit, reperire est : civitatem scilicet non solum legibus, sed armis stare debere; mercede conductos milites sive utilitatem nullam sive periculum grande reipublicæ afferre; cives esse conscribendos

(1) *Provvisione per le milizie a cavallo*, apud op. Mach.

(2) V. Epistolas a Machiavello ad Decemviros scriptas, die 5 febr., 3 et 5 mart 1505 (1506). — *Commiss. per fare soldati*, 16 aug. 1508, 12 nov. 1510, 2 déc. 1511. — Canestrini, *Scritti inediti*, etc. : *Commis. dei Nove della milizia a Nic. Mach.*

(3) *Prov. per le fanterie.*

semperque ad arma debere esse paratos. Idem illud testantur ea quæ de armis peditum et equitum, de ducibus, de sacramento, legibus illis edicta sunt : omnes enim pedites loricis tegebantur, singuli centenorum peditum globi septuagenos hastatos habebant; at contra equites omnes levis armaturæ erant, et non hastas, sed arcuballistas fistulasque eas novas, quibus glandes emittebantur, gerebant (1). Duces unoquoque anno mutatis partibus ad milites novos discedebant (2). Milites ad sacramentum adigebantur (3).

Legiones in Gallia a Francisco primo institutæ ab antiquis exemplis procedebant. Jam quidem robur sagittariorum civile *(les francs-archers)* pluribus e partibus eadem ratione informatum fuerat qua postea legiones; scilicet ut peditum subsidium, tributis quibusdam immunium, domi, si res non posceret, remanentium, ad exercitia temporibus certis conveniret. Alia autem si consideres, nomen, numerum et distributionem militum, præmia, certum habebis legiones ad imitationem (4) Romanorum a Francisco primo fuisse creatas. Etenim si nomen consideres, legio vocabatur; si numerum et distributionem, legio quæque sena millia peditum habebat qui milleni, centeni, deceni ordinabantur; si præmia, annulo aureo bene meritus quisque ornabatur. Legioni autem, fateor, equitum nulla turma accedebat. Die vicesima quarta julii 1534 Franciscus primus edixit (5) legiones septem institui; legionem unamquamque intra fines certos provinciæ unius pluriumve provinciarum conjunctarum conscribi, ita ut, in eadem legione, quum gregarios milites tum præfectos ab eadem regione collectos esse oporteret. Legionarii, usque ad duodecim millia hominum, fistulis ferreis armati erant quibus glandes emittuntur; ceteri omnes, triginta millia hominum scilicet, sive hastas gerebant sive illud hastarum genus quæ securibus ingentibus præfixæ sunt. Gregarius miles ad optionis

(1) Dictitavit Machiavellus armis non solum instruendos, sed etiam muniendos esse pedites; plurimi Helvetios fecit qui hastis utebantur; equites autem non in acie, sed ad explorandum, ad lacessendum, ad persequendum adhibendos esse prædicavit. — V. in hoc nostro opere l. II, c. 2, § 2.

(2) Idem illud Machiavellus suasit, *Arte della guerra*, I. — Cf. *Discorsi*, III, 24 : « La prolungazione degl'imperj fece serva Roma. »

(3) V. in hoc nostro opere (l. II, c. 2, § 2) ea quæ Machiavellus de honestate et religione militum dixit.

(4) « A l'exemple des Romains. » Martin du Bellay, *Mém.* ed. Michaud, p. 284. Tavannes, *Mém.* p. 80. — « Comme faisoient les Romains. » Montluc, *Comm.* p. 22. — « A l'imitation des anciens. » La Nouë, *14e discours*, p. 272.

(5) Isambert, *Anciennes lois françaises*, XII.

munus atque inde ad inferiores ordines promoveri poterat, quos assecutus in patricios ex virtute cooptabatur (1). Pace bis anno legio quæque conveniebat ad exercitia; domi etiam remanentes legionarii stipendium habebant quod majus bello fiebat; tributis, modo viginti asses tributa non excederent, immunes erant. Si quis telo mutilatus esset, tributis in perpetuum liberabatur atque in oppido collocatus stipendium habebat. — Eadem postea Henricus secundus die vicesima secunda martii 1557 edixit.

Neque tamen militia florentina neque legiones gallicæ duraverunt. Quis militiæ florentinæ finis fuerit jam exposuimus. Legiones autem a Francisco primo creatæ vix aliquot annos, ab Henrico secundo redintegratæ decem duodecimve annos exstiterunt (2).

Quæ causa fuerit cur nova illa militum in subsidium comparandorum ratio brevi obsoleverit, quod ad militiam florentinam attinet Machiavellus in *Arte bellica*, quod ad legiones gallicas attinet auctor operis de quo jam dictum est *(Instructions sur le faict de la guerre)* necnon et scriptores commentariorum (3) indicant. Quibus ex omnibus apparet rationem in principio propositam neque constanti neque gravi satis consilio fuisse observatam. Quum res nova novas agendi artes exposceret, priore statu considerato nimis temperamentoque nimio adhibito, inane cœptum evasit. Etenim, quod ad delectum militum spectat, neque diligenti neque severo satis studio conscriptis militibus, is qui vere delectus esse debuisset eadem vitia effecit quæ jam conducendi mercede milites ratio. Ipse Machiavellus ad conscribendam militiam florentinam legatus ea quæ præceperat non servavit neque, ut ex ejus epistolis (4) ad Decemviros apparet, milites etiam invitos deligendos curavit; media autem potissimum ea ratione usus qua alloquio leni astutove homines ad arma pelliceret, nimis multa socordiæ, ignaviæ, gratiæque concessit. In

(1) « Ledit seigneur veut et ordonne que s'il y a aucun compagnon de guerre qui » face preuve de vertu de sa personne.... le colonnel ou capitaine sous lequel il sera » luy face présent d'un anneau d'or, lequel il portera à son doigt, pour mémoire de » sa preuve, et selon qu'il s'exaltera de là en avant en vertu, il montera pareille- » ment de degré en degré, jusques à estre lieutenant.. Et dès lors qu'il sera parvenu. » audit estat de lieutenant... veut et entend qu'il soit annobly. »

(2) Daniel, *Hist. de la milice.*

(3) « Les legionnaires qui fut une tres belle invention, *si elle eust été bien suyvie.* » Montluc, *Comm.* p. 22. — « Les legionnaires estoient bien inventez par le roy François..... *ce qui n'a esté suivi des rois.* » Tavannes, *Mém.* p. 82. — *Mém. de Vieilleville*, c. 2, 3. — *Relations des ambassadeurs vénitiens*, I, 186.

(4) Cf. Epist. die 5 febr. 1505 (1506).

Gallia præterea legiones semper e voluntariis unice constiterunt (1). — Quod ad constitutionem rei militaris spectat, opera attenta satis illi non data est. Hoc de militia florentina significare haud semel videtur Machiavellus (2). Legiones autem gallicæ non modo non intra fines certos delectæ sunt, sed plerumque male plenæ squaluerunt. Eas quas instituerat legiones Franciscus primus, annis aliquot intermissis, omnino neglexit atque evanescere passus est. Quas rursus creavit Henricus secundus nunquam universas conscripsit. — Exercitiis, quæ temporibus certis in principio jussa erant, continuatus ordo firmaque disciplina defuit (3). — Ex eo fit ut in hominibus parum aptis, parum exercitatis, parum obedientibus pleraque illa quæ militem decent, præter ipsum militis nomen desiderata sint, studium scilicet in arma, patientia laboris, constantia, fiducia, ususque ipse armorum et virtus bellica (4).

Adde quod principes, regni servandi causa, robur militum civile suspectum habebant. Quare Florentiæ et libertas et militia simul periit. In Gallia autem multis testimoniis memoriæ proditum est reges et optimates diffisos fuisse plebeiis quos idcirco inermes esse maluissent (5).

(1) « La faulte procedoit de plus d'une chose et principallement de ce que chacun » estoit volontaire et qu'il ne s'y mettoit personne que de son franc arbitre. Et la » coustume du jourdhuy est que ceulx qui se presentent de leur bon gré sont » communement des pires de tout le pays. » *Instructions sur le faict de la guerre*, p. 7.

(2) « *Cosimo.* Dunque vorresti voi fare una ordinanza simile a quella che è ne, » paesi nostri. — *Fabrizio.* Voi dite bene; vero è ch' io gli armerei, capitanerei, » eserciterei, ed ordinerei in uno modo che io non so se voi gli avete ordinati così. » « Non... per difetto del modo, ma dell' ordine che non aveva la sua perfezzione. » *Arte della guerra*, I. — « S' ella [ordinanza] non è così ordinata ed esercitata come « ho detto, ella può dolersi di voi che avete fatto uno abortivo, non una figura per- » fetta. » *Ib.*, VII. »

(3) « En lieu de ce que les capitaines et les officiers que le Roy avoit instituez se » devoient travailler d'adresser bien leurs gens, ilz n'en ont rien faict. Peult estre » aussi que qu'il ne leur estoit pas commandé par expres : et gens qui n'ont gueres » bonne volonté d'eulx mesmes ont prou de petite excuse. » *Instr. sur le faict de la g.*, p. 7.

(4) « La cattiva pruova ch' ella ha sempre. » *Arte della guerra*, I. Cf. Sismondi, *Rép. it.* XIV, p. 251, 257 sq.

(5) « Il Re [di Francia] ha disarmati i suoi Popoli, per potergli piu facilmente » comandare. » Machiavelli, *Arte della guerra*, l. I. — Guicciardini. *Ist.* l. II. — *Relations des ambassadeurs vénitiens*, I, 187, 496. — « Les legionnaires estoient » bien inventez... Ce qui n'a esté suivi des rois, craignant que leurs subjects » imitassent les Suisses en desobéissance, et ont mieux aymé donner leur argent » aux estrangiers que les aguerrir. » Tavannes, *Mém.* p. 82.

POSITIONES

I. Renascentibus litteris, veteres rei militaris scriptores, et præsertim latini, impressi sunt.

II. Imitationi proposita sunt ea quæ in militia observaverant antiqui et præsertim Romani. — Plurima inter alia, ea præcipue proposita sunt :

De delectu militum. — Milites ex alienis gentibus mercede conductos esse abolendos; robur militum civile esse constituendum; delectum etiam invitorum habendum.

De armis. — Arma, quibus corpus tegitur, plura firmioraque dimicantibus danda.

De componendo exercitu. — Equitibus pedites esse anteponendos.

De acie. — Aciem, Romanorum more, multiplicem, necnon et, Græcorum more, densissimam esse instruendam; nova autem illa tormenta, quibus globi ferrei emittuntur, minime in acie esse formidanda.

Inter eos qui ea commendaverunt eminent in Italia Machiavellus, in Gallia ille a quo compositum est opus quod inscribitur *Instructions sur le faict de la guerre.*

III. Usu ipso militiæ veteris imitatio tentata est. Imitationem illam testantur in Italia *Militia florentina* quam Machiavellus suis conscribendam esse suasit, in Gallia *Legiones* a Francisco primo institutæ, ab Henrico secundo redintegratæ.

INDEX

Paginæ

PRÆFATIO 3

LIBER PRIMUS

De veteribus rei militaris scriptoribus usque ad annum 1550 editis.

CAPUT I. — De scriptoribus latinis 5

De Modesto; de Vegetio; de Frontino. — De iisdem simul cum Æliano collectis. — De iisdem in recentiorem sermonem translatis.

CAPUT II. — De scriptoribus græcis 8

De fragmentis Polybii; de Æliano. — De græcis scriptoribus in latinum atque in recentiorem sermonem translatis. De Æliano; de Onosandro; de Leone imperatore; de Polyæno.

LIBER SECUNDUS

De recentioribus rei militaris scriptoribus qui, renascentibus litteris, disciplinam ab antiquitate sumpserunt.

CAPUT I. — De universitate recentiorum scriptorum 11

CAPUT II. — De scriptoribus italicis 12

§ I. — De eruditione indigesta. De Roberto Valturio ..... »

Roberti Valturii Ariminensis *De re militari* libri XII.
Antonio Cornazano. *Opera bellissima de larte militar.*

§ II. — De eruditione digesta. De Nicolao Machiavello 14

Libro dell' arte della guerra.

§ III. — De ceteris scriptoribus italicis 28

CAPUT III. — De scriptoribus gallicanis 31

§ I. — De tertio decimo et de quarto decimo sæculo. *L'arbre des batailles* ..... »

Vincentii Bellovacensis *Speculum doctrinale.*
De Vegetio Joannis Clopinelli opera gallice conscripto.
Ægidii Columnæ Romani *De regimine principum* liber tertius.
Honoré Bonnet. *L'arbre des batailles.*
Lart de chevalerie selon Vegece.

§ II. — De quinto decimo sæculo. *Le rosier des guerres* 34

Le rosier des guerres. — *Le guidon des guerres.* — Unum idemque opus illud est.
Le Jouvencel.
Robert de Balsat. *La nef des batailles.*
Les ruses et cautelles de guerre.

Paginæ

§ III. — De sexto decimo sæculo. *Instructions sur le faict de la guerre...* 38

Index scriptorum rei militaris ab a. 1515 ad a. 1550 in Gallia impressis.
De libris a Christiano Wechelo impressis.
De Francisco Rabelæso.
Instructions sur le faict de la guerre. — Machiavelli prævalet auctoritas.
Institution de la discipline militaire au royaume de France.
La Noue. *Discours politiques et militaires.*

LIBER TERTIUS

Quemadmodum veterum res militaris usu ipso apud recentiores tentata est.

Caput I. — De specie imitationis..... 51

De peditatu sagittariorum.
De incremento peditum ; de leviore armatura equitum.
De phalange.
De armis gravioribus factis.

Caput II. — De imitatione vera..... 53

De *Militia florentina*, auctore Machiavello, constituta.
De *Legionibus* in Gallia institutis.
Quæ causa est cur et militia florentina et legiones gallicæ brevi obsoleverint.

Positiones 59

Vidi ac perlegi,

Lutet. Paris. in Sorbona a. d. VI id. jun. an. MDCCCLXXXI
Fac. Liter. in Acad. Paris. decanus.

H. WALLON.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis rector,

GRÉARD.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE PARIS

Burdigalæ. — Ex typis G. Gounouilhou, 11, via dicta Guiraude, 11.